




Theolog

Ad usu Domus Probationis Cracov: Societ: Jesu inscriptus Anno.

ADMIRANDA JANSENISMI TRIBVS EXPOSITA TRACTATIBVS.

IN I. PARTE TRACTATUS I.

Præmissa priùs Quæstione Procemiali de infallibilitate Papæ in rebus Fidei decidendis etiam sine Concilio Generali, Admirandè erroneæ quinq; famosæ Propositiones JANSENII, à Summis Pontificibus damnatæ, discutiuntur, & refelluntur: nec non ejusdem JANSENII *admiranda impostura*, & superbia exponitur.

IN 2da PARTE.

Admirandè erroneæ Jansenij Propositiones contra Scientiam Mediam convelluntur.

IN TRACTATU II.

Admirandè erronea Jansenistarum convincuntur esse Dogmata, Primatui S: Petri adversantia: errorum verò Jansenij, & Michäelis Baji propugnantia: Nec non aliæ Jansenistarum admirandæ falsitates, fraudes, imposturæ, demonstrantur.

IN TRACTATU III.

Quesnelli Jansenistæ admirandè erronea (utpotè, quæ multùm injuriosas, & ignominiosas notas inurit Sententiæ piæ) evincitur Propositio hæc: *Sententia, quæ tenet DEIparam esse immaculatè Conceptam, Opinio est nova, & contraria Veritati Scripturarum, ex eaq; infertur perniciosa sequela.*

AUCTORE
P. GEORGIO GENGELL SOCIETATIS JESU Theologo.

BRUNSBERGÆ, Typis Collegij Societatis JESU, Anno Salutis 1715.

S. AUGUSTINUS Lib. 3. contra Julianum Pelagianum. Cap: 3tio.

MIRA sunt, quæ dicitis, ô Pelagiani: (ô Janseni, & Jansenistæ) *nova sunt, quæ dicitis: falsa sunt, quæ dicitis: mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus.*



CELSISSIMO
ILLUSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO DOMINO,
D. THEODORO
à POTOK
POTOCKI,
SACRI ROMANI IMPERII
PRINCIPI,
DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPO
VARMIENSI & SAMBIENSI,
TERRARUM PRUSSIÆ PRÆSIDI.

DOMINO & PATRONO FAVENTISSIMO.



Riusquàm *Admiranda Jansenij & Jansenistarum* relegant, lectaq; improbent Universi, illud potissimùm in votis habeo, ut Tui Generis Magnitudinem; Eruditionis Tuæ, indefessi Zeli, rectefactorumq; Tuorum prodigia mirentur & laudent singuli:

CELSISSIME PRINCEPS, ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME ANTISTES. Enimverò plura, quàm ut *Gentilitijs Crucibus* computari possint, plura inquam decora, & *Te*, & *Illustrissimam Tuam Prosapiam* commendant seræ posteritati. Inscribunt POTOCCIOS Regni Aquilæ Fastis Summorum Procerum POLONIÆ, deducunt honorarij Scipiones ad publicæ famæ atria, provehunt Senatoriæ Curules in Augustale perennis gloriæ, adornant Consangvineæ Purpuræ, eo colore, qui alioqui perstringeret invidiæ Oculos, Præsuleæ Mitræ, Ducales Tiaræ Cælo viciniores, attollunt. Quid (ut alios, non vana nomina, Majores taceam, nostro & extero Orbi notissimos) in *Illustrissimo Tuo Parente PAULO POTOCKI Castellano Camenecensi*, quid spectavit Lechia, quid postera ætas memorabit, quod ad æternitatem famæ non conspiraret? *Illustrissimum Fratrem Tuum ALEXANDRUM Palatinum Smolenscensem*, non solùm extinctum conquerimur, verùm cum illo tot insignium operum prodigia, quot longis nonnisi ætatibus proveniunt. *Illustrissimus STEPHANUS, Referendarius Regni* ne in ipso duntaxat Nomine *STEPHANI*, Corona audiat, amplissimis meritis coronat Patriam, Civiumq; est Amor, & Regum; Etiam tunc POLONA se minimam agnoscit *Societas JESU*, dum pari gratitudine cum tanto MECÆNATE certare satagit. Jam *Illustrissimi, PETRUS, Capitaneus Czerkaviensis; JACOBUS, Capitaneus Czeherinensis*, rectè factis præveniunt Fasces, maluntq; eos diu mereri, quàm citò admittere. *Illustrissimus MICHAEL, Subdapifer Magni Ducatûs Litvaniæ*, etiam postquam grande funus cecidit, vivit in memoria

&

& animis Civium. Porrò *DEI Hominis* insigne ipsiq; erebo timenda arma inter Gentilitia decora *Illustrissima Domus Tua* recenset. Nec mirum; tam probitas animi, quàm heroica fortitudo, POTOCCIANÆ *Stirpi*, pari fœdere adstricta est, & cognata. Præsulea & Senatoria Purpura, Heroum Sagum; Scipiones Antistitum, Clavæ Ducum; Pontificiæ Mitræ, Bellatorum Laureæ; ad ornamentum Domesticum, & perenne *Illustrissimæ Familiæ Tuæ*, post longam, pulchramq; de eadem contentionem, pari jure pertinent. Quod inter Aras Numæ, in Castris *Macedones* sint POTOCCII, nemo est, qui non novit. Christianis Militibus fatali Sideri Lunæ Othomanicæ, nullum bellum intulimus, in quo POTOCCIANA Fortitudo singularis non emicuerit, ubiq; invicta, & par defendendo Polono Regno. Nullam victoriam de barbaris, impiæq; Religionis populis, retulimus, nulla ereximus trophæa, inter quæ non spectaretur, quorum non auxerit, & sacram non fecerit pompam *Gentilitia CRUX Tua*. Quòd *Domui Tuæ* militet æther, & conjurati veniant ad *Classica Divi*, quis ambigat? cùm non solùm ad jactantiam, & inanem apparatum circumferat Arma Cælestia illa; quæ Magno Cæsari CONSTANTINO, Augustæ victoriæ omen dedêre. Ignorat Annales Sarmatiæ, qui nondum didicit in hoc signo, in quo Tartari Castra fregit *Numen*, à *Majoribus Tuis* debellatas acies, & Polono, & *Christiano Nomini* infestas. Quidni proinde, adversùs *Ecclesiæ, Augustissimæq; Cælorum Reginæ* hostes, felici calamô decertaturus, *Tuum Nomen*, PRINCEPS CELSISSIME, *à Majoribus* pro Orthodoxa Fide & Republica, æquo & sem-

per invicto Marte decertantibus deductum, huic præfigam Volumini? Validissimum accedet robur à me depromptis Argumentis, postquam ea *Præsuleo Scipione*, quô infractus rem *Catholicam* in Prussia sustentas, suffulciêris. Succumbent facilè, admirandi tam Jansenij, quàm suorum Asseclarum, necnon Quesnelli errores, ubi *Te Duce*, eosdem oppugnare aggrediar. Nôsti optimè, ANTISTES ERUDITISSIME, quàm venenatum telum Jansenius strinxerit, etiam lapsam Naturam in profundiorem voraginem præcipitaturus. Acre, & usque adeò ferox ingenium illius hominis exstitit, ut nec *Divinæ Gratiæ* pepercerit. Veritati omnimodæ consonat, quod de illo Doctissimi P. Petri Labbe S. J. in Elogijs Sacris, „calamus annotavit. Scilicet: De Natura pura Jansenius, „minùs sanè; de Natura sana, minùs purè; de lapsa, minùs „rectè sensit. Post calumnias Naturæ, non pepercit Gratiæ: „ut negaret sufficientem, finxit inutilem; ut destrueret efficacem, fecit crudelem; ut everteret liberum arbitrium, reddidit captivum; ut corrumperet bona opera, corrupit merita; ut excusaret peccatum, fecit necessarium; ur redderet „CHRISTUM odiosum, negavit pro omnibus mortuum„. Nôsti inquam hæc omnia, videlicet mente vastissima complexus omnes scientias, quæcunq; decent Regni Orthodoxi *Senatorem*, & *Præsulem*. Discendi ardorem, non lymphis vulgaribus, sed Romano Tyberi attemperabas. Audiit Roma *Te* loquentem, & dignam *Tibi* affluxisse Eloquentiam, quam *Orbis Caput*, attenta aure admitteret, publica nuntiavit fama. Philosophicæ, Theologicæq; Eruditioni, eam navâsti

ope-

operam in Collegio Romano *Societatis JESU*, ut doctissimô calamô Euripum, Theologicumq; altum ferè exhausisse crederêris. Alij de laureis, de *Tuo Capite*, laureæ decertabant, Præsulum Infulis, Ducalibusq; Mitris superimponendis, coronandæ. Porrò *Præsulea Culmensis*, & demum *Varmiensis Tiara*, vastissimum *Caput Tuum*, haud potuisset complecti, in assurgentem millenis Sapientûm laureis Frontem haud eluctatæ fuissent, quamvis Ducales Mitræ, nisi *Modestia Tua*, illis *Te* submisisset. Culmensis Pontificatus regimine admisso, qua sollicitudine non egisti, ut *Te* ANTISTITE ERUDITISSIMO, suos errores dediſceret hæresis? Ut in *Diœcesi Tua* degeret veluti inquilina Divinior Sapientiâ? Torunium in Athenas *Societatis Nostræ* evocâsti Diviniorem Scientiam *Theologiam*, eaque, ut ibi perenniter consisteret, liberalibus *Tuis* impensis effecisti, *Literarum*, & *Societatis* MECÆNAS ubiq; *Munificentissimus*. Tanta fortitudinis Christianæ, Probitatis, Eruditionisq; Gloria, pene exordijs Lechiæ coæva, *Illustrissimam Prosapiam Tuam*, & *Te* PRINCEPS CELSISSIME circumstat. Rubor, qui *Tuas* adornat *Trabeas*, alti Sangvinis, Heroici Sudoris, Verecundiæ *Tuæ*, aliarumque Purpurâ dignarum Virtutum, color est: *Domus Tua, geminatis Crucibus* insignita, pietatis Christianæ Augustale magnificentissimum citra assentationem dici potest. Itaq; operæ pretium me facturum censui, si *TUO HONORI* inscriberem meos conatus, improbissima Jansenij, ac Jansenistarum dogmata, eorumq; admirandè erroneas falsitates, & fraudes, profligaturus. Liberæ Gentis ANTISTES, Jansenium

ever-

everſorem liberi arbitrij, non poteris non damnare. *Minimæ Societati* Faventiſſimus MECÆNAS, Janſenij & ejus Aſſeclarum improba dicta, & impoſturas adversùs Scientiam Mediam (quam *Univerſa Societas* validiſſimè propugnat) non poteris non improbare. PRINCEPS à teneris mancipatus Honori absq; nævo *Conceptæ VIRGINIS MARIÆ*, ejus Dignitati adverſantia Quesnelli dicta & ſcripta, non poteris non deteſtari. Ego intereà *SUPEROS* precabor, ut eousq;, *Catholicæ Religionis* commodo, PATRIÆ felicitati, VARMIÆ gloriæ, Societatis, & Univerſorum voto, *Te* ZELOSISSIMUM PRÆSULEM conſervent, quousq; Pruſſiæ Balthis, Romano Tyberi parere non didicerit.

Ita vovet

CELSISSIMO,
ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO
NOMINI TUO

Devinctiſſimus

GEORGIUS GENGELL
Societatis JESU.

CENSURA.

LIber, cui titulus: *Admiranda Janſeniſmi* conſcriptus operâ, & ſtudiô Admodùm Reverendi Patris Georgii Gengell Soc: JESU Rectoris Collegij Gedanenſis, eximij per multos annos Theologiæ Scholaſticæ Profeſſoris, cùm ex Commiſſione Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini *Adminiſtratoris Epiſcopatûs Varmienſis in Spiritualibus & temporalibus*, à Nobis diligenter reviſus, & accuratè expenſus, nihil contineat à Fide, & pietate alienum, quin imò contraria fidei hæreſeos Janſenianæ Dogmata detegat, ac ſolidè refellat, luce publicâ dignum cenſemus. Datum in Reſidentijs Noſtris ad Eccleſiam Cathedralem Varmienſem hac die 17. Decembris, Anno 1714.

ISIDORUS CAIETANUS MAGNANINI
Canonicus Varmienſis.
JOANNES DRESCHER Canonicus Varmienſis.

APPROBATIO
OFFICII ADMINISTRATORIALIS.

PErilluſtrium DD. Theologorum, quibus eam commiſimus viſâ ſupradictâ Cenſurâ Libri, qui inſcribitur: *Admiranda Janſeniſmi &c.* Adminiſtratoriali, quâ fungimur, Authoritate facultatem impertimur, quatenus typis mandetur, & publici Juris fiat. Dab. Heilsbergæ in Arce Epiſcopali die 19. Decembris, Anno 1714.

JOANNES ab HATTEN
Cantor Canonicus Varmienſis,
Adminiſtrator Epiſcopatûs.

FA-

FACULTAS
R. P. Præpositi Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

Cùm Opus, quod inscribitur: *Admiranda Jansenismi* à Patre Georgio Gengell Societatis JESU Theologo conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi factâ ab Admodum Reverendo P. Nostro Michaële Angelo Tamburino Societatis Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut Typis mandetur; si ijs, ad quos pertinet, ità videbitur. Cujus rei gratiâ, has literas manu meâ firmatas, Sigillóque munitas dedi, Gedani die 22. Februarij, Anno 1714.

RAPHAEL TACZANOWSKI
Societ: JESU.

PROLO-



PROLOGUS.

PER septendecim ab exortu Christianæ Fidei hucusq; retroáctas annorum centurias, duo tantummodo fuêre sæcula, scilicet ab anno Octingentesimo, quô Carolus Magnus regnare cœpit, usque ad annum Millesimum, in quorum neutro ulla de novo prodijt hæresis: ut in libro suo erudito de Sectis hæreticorum non procul ab initio refert Prateolus Doctor Theologus, qui Parisijs floruit anno 1560: (quanquam Cardinalis Bellarminus in sua Chronologia, in Elenchum hæresiarcharum sæculo nono imponit Michäëlem Balbum Imperatorem, & Claudium Taurinensem Episcopum, nonnulli etiam Gotteschalcum Monachum) Una verò solùm hæresis exorta, videlicet Berengariana, Auctore Berengario Archidiacono Gandavensi, circa annum millesimum quadragesimum octavum: alijs autem omnibus & singulis annorum centurijs, Christi Ecclesia dolens spectavit, & sensit hæreses semper alias plures, ac novas admirandas: nunquam tamen plures, quàm ab anno millesimo quingentesimo decimo septimo ad annum millesimum quingentesimum septuagesimum (recensentur enim supra 80.) nec unquam ferè pauciores novas, præsertim populosas, quàm à supradicto anno, hucusque. Inter has novas hæreses venit

An & quæ sæcula fuêre à novis hæresibus immunia?

col-

Quinnam fuerit Cornelius Iansenius?

collocanda hæresis Jansenistica, quæ prodijt circa annum 1641 Auctore præcipuo, Cornelio Jansenio Iprensi Episcopo. Porrò sciendum, geminum fuisse Jansenium, utrumq; Cornelium, utrumq; Episcopum. Alter, Gandavensibus infulis & Theologicis Lucubrationibus celebris, & eruditis voluminibus, sed maximè Concordiâ Evangelicâ rem Catholicam probè illustravit, incorruptæ limæ scriptor: Alterum, Præsulea dignitate Iprensem, genere Batavum, ignobilis Patria, Leerdanum Oppidum, in lucem dedit, Ultrajectum mansvetioribus tersit, Lovaniensis Universitas severioribus disciplinis excoluit, Magister in devia traduxit: Jacobo enim Jansenio, Michàélis quondam Baji Discipulo, in Philosophicis & Theologicis scientijs formatore, virulentam hæresim è Michàélis Baji commentis erutam, toto ingenio hausit. Inde Parisios, mox in Cantabriam delatus, Bajonæ Collegij Moderatorem egit: repetit tandem Lovanium, ubi Theologiæ, (quam Positivam vocant) Magisteriô & Præfecturâ Collegij Divæ Pulcheriæ donatur. Datus postea Iprensibus Episcopus, exactô bienniô, dum tota Urbe lues grassaretur, solus fuit, quem pestis confecit. Et ut pestiferum vixisse conjicias, plures afflavit posthumus. Extincti Auctoris virus promovit liber, cui speciosa ad fallendum larva, & in ipsa fronte ingens pugna præfigitur: *Augustinus Cornelij Jansenij olim Iprensis Episcopi.* In hoc Codice, quinque offensionis lapides, nempe quinque graviter erroneæ Propositiones, velut scopuli, altùm prominent, quin & alij errores non pauci. Offenderunt hæc monstra, primò Lovaniensium Societatis JESU Theologorum perspicaciam: ab his acerrimô studiô detecta, expugnata, diruta sunt erronea Principia; strinxerunt certatim calamos, Viri omnium Ordinum Eruditissimi, Principes Academiæ, sapien-

pientissimi juxta ac vigilantissimi Galliarum Episcopi. Ita cunctorum ferè armis confossus Jansenismus, tandem à Summa Apostolici Judicij Sanctitate, repetitis fulminibus corruit. Perustam tamen belluam, quædam funesta ingenia (quibus instar insipientiæ est, novum quid non sapere) ultimis ereptam cineribus salivare affuso novo veneno, fovere, mederi abscisso jugulo non desinunt. Adeo desperatissimis etiam plagis non desperat ingeniorum chirurgia! Et verò complectitur iste Pseudo Augustinus tot virulentas opiniones, ut more viperæ profectus adhuc suô venenô resciffas partes animet. Præter enim quinque infames Theses, omnium Catholicorum Judiciô detestabiles, multa injuriosa continet contra possibilitatem statûs puræ Naturæ, contra Scientiam Mediam, & isti subnixam Gratiæ Divinæ efficaciam. Hæc, duobus Tractatibus refellentur; Tertius, falsitates & imposturas deteget sequacium Jansenij, atque adeò novos errores è cerebro Jansenianorum recentius renatos conculcabit. Miraris Lector insolentem Titulum *Admiranda Jansenismi?* Illos mirare, quos explodimus. Quàm enim, ostenso simile est, à Cornelio Jansenio Theologo & Episcopo, centies profitente se obsequentissimum esse Catholicæ Romanæ Ecclesiæ Filium, imò Voto Religionis se adstringente non alium fore aut mori, doceri tamen adeò suis propositis & Summorum Pontificum Decretis pugnantia! Perniciosissimas Baji Propositiones, quarum ipse Parens palinodiam cecinit, execrati sunt S. Pius V, & Gregorius XIII, Pontifices Maximi, condemnavit olim Augustissimum Tridenti Concilium: refodi, propugnari, stabiliri! Jam verò Nepotum Jansenij pervicaciam, dolos, machinas, quibus Romanæ Ecclesiæ sanctiones eludunt, oraculis obluctantur:

Volumini huic cur Titulus inditus: Admiranda Jansenismi?

tur: item eorum fraudes, falſitates, ſi quis animo ſecum inſpiciat, vehementer ille deploratam iſtorum hominum mentem mirari non deſinet. Si mira ſunt (teſte S. Auguſtino) quæ Pelagiani docuerunt: quidni Admiranda etiam, quæ Janſenius & Janſeniſtæ ? Accedit. Quòd ſiquidem nuper Admirande erronea dicta, ſcripta, & geſta Lutheri, Zvinglij, & Calvini propoſui in ſeparatis duabus Lucubrationibus, ſub titulo *Admiranda Lutheri, Zvinglij, & Calvini*, conveniens erat, ut etiam Janſenij & Janſeniſtarum gravia errata, appellatione Admirandorum Janſeniſmi, inſignirentur. Utique Galliarum Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Abbates, circiter ſeptuaginta in Epiſtola ſua, data Pariſijs ad Alexandrum VII. Anno 1656, 2dâ Septembris, ajunt: *Priorem curam de profligando Calviniſmo, excepit alia, illi germana ob erroris Societatem, de profliganda Janſeniana doctrina.*

An in Regno Poloniarum necessitas scribendi cōtra Janſeniſmum?

Quod ſi quiſpiam dicat, Lucubrationem hanc minimè fore proficuam ac neceſſariam in vaſtiſſimo Poloniarum Regno, eò, quòd hinc Janſeniſmus procul abſit. Si quem autem eruditio talium rerum oblectat, habet ille tot Illuſtrium Nominum volumina, quibus Janſeniſmus pridem diſcerpitur: hæc legat, & edocendæ Fidei ſufficient. Verùm reſpondeo: Utinam longè abeſſet ab hoc Potentiſſimo Regno & trans mare ſolùm fureret Janſeniſmus! Sed cum Lutheri & Calvini Aſſeclæ, non parva in hoc Regno manus, Janſeniana Dogmata magno plauſu excipiant, & ceu Conſangvineis argutijs acclament; cùm etiam Janſeniſtarum pleraſque falſitates, fraudes, & impoſturas (dolendum!) quidam ex Orthodoxis comprobent, detrahenda eſt illis dementia, his deceptio. Pridemnè clanculario pede trivit Poloniam Petrus de

de Ligny, Janſenianarum partium Nobilis impoſtor? Is conjunctiſſimus Queſnello, Janſeniſtarum hac tempeſtate Primicerio, atque ob id Duacenſi Cathedra, Regis Decretis exturbatus, erupit perfuga in Poloniam, penetravit in Aulas Procerum, adſcito in fraudem mendacio Nominis, Petrum de Foſſa ſe dixit, buſtuarius Artifex: ſtruxiſſetque hæc Foſſa non temnendam conſcientiarum perniciem, niſi ſuô ſuperciliô proderetur horror diſſidentis præcipitij. Quis ſponſor, non emerſuros poſthac ſimilis farinæ perſonatos Doctores? paratum igitur pugionem, qui perreptantes à primo limine reprimat. *Ubicunque* enim *hæretici apparuerint* (ut monet Sanctus Auguſtinus lib: 4to ad Bonifacium cap: 12mo) *conterendi ſunt, ſive ut ſanentur, atque mutentur; ſive ut ab aliorum ſalute atque integritate vitentur.* Multi Codices, Janſeniſmum ſtrenuè lacerant? ſcio. Sed quota pars eſt ad manum noſtro Septemtrioni? ſi quos peregrina Navis defert, terrent emptorem pretiô, terrent mole Quæſtionum, Lectorem. Poſtremò, Janſeniſtarum labem, ſemel aut identidem odiſſe, non ſufficit; accumulatis ictibus feriendi ſunt, quamdiu ſuum ipſis eſt cerebrum. Monet me utique Divus Proſper, Diſcipulus & defenſor acerrimus Sancti Auguſtini, in Epiſtola ad eundem inquiens: *Neceſſarium & utile eſt, etiam quæ ſcripta ſunt, ſcribere; nè leve exiſtimetur, quod non frequenter arguitur.* Creberrimo percuſſu fatigabitur tandem rabies obluctandi; domabit contumax ingenium Veritas toties oculis ingeſta; & fortè jam non invitis, ſaniores ſenſus obtrudimus, quos fluxa & conſcia mens gaudet ſibi ſuggeri. Bonorum igitur omnium commodo; Orthodoxorum, ut er-

rores oderint; Hostium, ut agnoscant, proderit hæc qualiscunque opera, prævià & adjuvante efficaci Gratiâ illius, *qui vult omnes salvos fieri, & in agnitionem Veritatis venire*, qui est DEUS benedictus in sæcula.



TRACTATVS PRIMI PARS I.

Præmissa prius Quæstione Proòemiali de infallibilitate Papæ in rebus Fidei decidendis etiam sinè Concilio Generali, Admirandè erroneæ quinq; famosæ Propositiones JANSENII à Summis Pontificibus damnatæ, discutiuntur & refelluntur: nec non ejusdem JANSENII admiranda impostura, & superbia exponitur.

QUia in libro, cui Jansenius falsò præfixerat nomen S. Augustini, continebantur (ut patebit etiam ex dicendis) multæ Propositiones Michaëlis Baji, quas S. Pius V, & post Gregorius XIII. suis Constitutionibus damnaverant, ideo prædictas Constitutiones peculiari sua Constitutione Anno 1641. confirmavit Urbanus VIII, & contra Jansenium promulgari fecit, sub Anathemate præfatum librum Jansenij interdicendo, non determinando tamen, quænam in particulari Propositiones in dicto libro contentæ, prohiberentur, & qualinam determinatè certâ afficiantur censuræ notâ; Proinde Jansenistæ ajebant, Propositiones Jansenij non esse è numero earum, quæ dicuntur hæreticæ, erroneæ, hæresi aut errori proximæ, suspectæ, scandalosæ, temerariæ, sed ad summum esse è genere earum, quæ dicuntur offensivæ, idq; tantùm ea ratione Offensivæ, quòd eos offendant, qui ignorant, qualis nam sit doctrina S. Augustini. Ut ergo cavillis & effugio ejusmodi, omnis locus intercluderetur, Illustrissimi

Quidnam Jansenistæ censuerunt de Propositionibus damnatis Jansenij?

&

& ſapientiſſimi Galliarum octoginta quinq; Epiſcopi, inter quos numerantur Archi-Epiſcopi novem, ſupplicârunt per literas Innocentio X. Summo Pontifici, ut Janſenij Propoſitiones quinq;, de quibus diſceptatis periculoſior, & ardentior fuit contentio, expenderet, ac perſpicuam de unaquaq; ſententiam ferret. Quid ergo de illis Propoſitionibus definiverit Pontifex, & quòd rectiſſimè, in Tractatu præſenti demonſtratur: ac quidem primò generaliter per deciſionem Quæſtionis ſequentis, quam etiam ideo hìc præmittendam conveniens eſſe duxi.

QUÆSTIO PROOEMIALIS.

Summus Pontifex eſt ne infallibilis in Decretis Fidei decernendis etiam extra Concilium Generale?

Papa loquens ex Cathedra in Decretis Fidei toti Eccleſiæ propoſitis, errare nequit.

ASſero cum indubitata ferè omnium jam Catholicorum ſententia, quòd Summus Pontifex in ſuis Decretis, veritatem Fidei concernentibus, & toti Eccleſiæ propoſitis, ſit infallibilis, ſeu errare non poſſit, ſi ea Decreta ita proponat, ut ad illa recipienda, graviter obligare velit totam Eccleſiam. Seu, quod idem eſt, ſed brevius: Papa loquens ex Cathedra, errare non poteſt in Decretis Fidei, toti Eccleſiæ propoſitis.

Veritas hæc probatur ex Scriptura.

PRobatur Aſſertio hæc multipliciter. Primò ex Scriptura. Quia Chriſtus Dominus coram aliis Apoſtolis & Diſcipulis, qui Concilium & Eccleſiam ejus repræſentabant, dixit ſoli Petro cum ipſius Succeſſoribus, Matthæi 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam.* Lucæ 22: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus, confirma Fratres tuos.* Joannis 21: *Paſce Oves meas.* Ex quibus textibus Scripturæ, juxta communem Sanctorum Patrum explicationem, proinde & juxta ſenſum communem Eccleſiæ, Divo Petro, & ejus Succeſſoribus collata eſt infallibilitas regendi & docendi Eccleſiam; nec unquam futurum, ut portæ inferi Petrum,& ipſius Succeſſo-

cessores eò efficaciter impellant, ut aliquem in Fide errorem definiant, & Ecclesiæ amplectendum proponant. Quod ipsum exigit bonum totius Ecclesiæ: decisio siquidem controversiarum in materia Fidei, non potest sæpè differri absq; gravissimis Ecclesiæ incommodis: Concilia verò Generalia, raro possunt congregari ob expensas, & bellorum quandoque tumultus, aliasque vix multoties superabiles difficultates.

Probatur Assertio 2dò. Quia hanc in Papa infallibilitatem agnoscunt tum Concilia Generalia: tum Patres: tum consensus Theologorum. *Ex Concilijs.*

Viennense Concilium in Clement: Unica de summa Trinitate dicit: *Ad Apostolicam duntaxat considerationem pertinent ea, quæ Fidei sunt, declarare.*

In Concilio Constantiensi, omnibus Concilij Patribus præsentibus in sessione 45. Constitutio Martini V. nullo omnino Patrum reclamante, publicis Concilij Actis inserta est in hæc verba: *Nulli fas est, à Supremo Judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, appellare, aut illius Judicium in causis Fidei (quæ tanquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam referendæ sunt) declinare.*

Concilium Florentinum Sessione ultima ait. *Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in universum Orbem tenere primatum: esse verum Christi Vicarium: totiusq; Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere: & ipsi in Beato Petro, pascendi, regendi, & gubernandi, universalem Ecclesiam à Domino Nostro JESU Christo plenam potestatem traditam esse: quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & sacris Canonibus continetur.*

Ex Patribus audiantur aliqui. *Ex Patribus.*

S. Irenæus lib. 3. adversùs hæreses cap. 3. S. Polycarpi Discipulus: *Sed quoniam* (inquit) *valde longum est in hoc tali volumine, omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo, Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eâ, quam habet ab Apostolis traditionem & annuntiatam hominibus Fide confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc etiam Ecclesiam, pro-*

pter potentiorem ejus (sive in profligandis & eliminandis erroribus, sive in asserenda veritate) *principalitatem, necessè est omnem convenire Ecclesiam: hoc est, eos, qui sunt undiq; fideles, in qua semper ab ijs, qui sunt undiq;, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.*

S. Basilius in Epistola, Sabino Diacono data ad Pontificem Romanum: *Pietati tuæ à Domino donatum est, ut quod adulterinum est, à legitimo ac proprio discernas: ac Fidem Patrum, sine subtractione ulla prædices.*

S. Cyprianus (qui Anno 261, vel ut Pamelius in vita ejus tradit, Anno 259: Gloriosissimum subijt Martyrium) Epist: 55. ad Cornelium Papam: *Navigare audent, & ad Petri Cathedram usq; ad Ecclesiam Principalem, unde Unitas Sacerdotalis exorta est; nec cogitare, eos esse Romanos, ad quos perfidia non possit habere accessum.* Et lib. 4to Epist. 9na: *Qui Cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.* Restiterat ille quidem cum pluri-mis Episcopis Africanis Stephano Papæ, non tamen solenniter definienti, tanquam de Fide, hæreticos non rebaptizandos (quod ex eo sufficienter constat, quia Stephanus nunquam removit à communione Ecclesiæ, illos Africanos Episcopos contrarium sentientes) sed tantùm urgenti executionem antiquæ traditionis de ijs non rebaptizandis statuendo inquam, ut nihil innovaretur, sed illud servaretur, quod traditum esset.

S. Hieronymus in Epistola ad Damasum Papam: *A Pastore, præsidium ovis flagito: discerne si placet. Non timebo tres Hypostases dicere, si jubebis.* Item in Expositione symboli, ut etiam citatur à S. Thoma 2. 2. q. 11. ar. 2. ad 3. *Hæc est Fides, Papa Beatissime,* (Damasum Papam alloquitur) *quam in Catholica didicimus Ecclesia, in qua si minus peritè, aut parum cautè, fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri Fidem, & Sedem tenes. Si autem hæc nostra Confessio, Apostolatûs tui Judicio comprobatur, quicunq; me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.*

S. Augustinus in Psal: contra partem Donati de Cathedra Romana dicit: *Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Et Epist. 157. *In verbis Apostolicæ Sedis, tam antiqua, atq; fundata cer-*

tà & clara est Catholica Fides, ut nefas sit dubitare Christianis.

S. Cyrillus Alexandrinus in libris Thesauri de SS. Trinitate: *Debemus nos, ut qui membra sumus, Capiti nostro Pontifici Romano, & Apostolicæ Fidei adhærere, ad nos pertinet, inde, quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit, quærere.*

S. Fulgentius libro de Incarnatione Verbi: *Quod Romana, quæ mundi cacumen est, tenet & docet Ecclesia, totus cum ea Christianus Orbis nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat consiteri.*

S. Leo Epistola 9. quæ est ad Constan: Episc. *Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse (Christi Lucæ 22. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua) audeat in aliquo vacuam putare? nonne à Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eundem Petrum, quam per suos Successores, convicta atq; expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & Fratrum corda, in Fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec in finem deficiet, sunt confirmata?*

S. Chrysologus in Epist: ad Eutycheten: *Hortamur te, Frater Honorabilis, ut his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quia Beatus Petrus, qui in propria sede, & vivit, & præsidet, præstat quærentibus, Fidei Veritatem.*

S. Agatho, Epist: ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur Actione 4. 6tæ Synodi: *Hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à via Veritatis deflexa est, cujus Auctoritatem semper omnis Catholica Christi Ecclesia & Universales Synodi, fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt: omnesq; Venerabiles Patres, ejus Fidem amplexi: & sancti quidem Doctores venerati atq; secuti sunt: Hæretici autem falsis criminationibus ac derogationum odijs insecuti.*

S. Bernardus Epist: 190. Innocentium II. alloquitur. *Oportet, ad Vestrum afferri Apostolatum pericula quæq; & scandala emergentia in Regno DEI, ea præsertim, quæ de Fide contingunt: dignum namq; arbitror, ibi potissimùm resarciri damna Fidei, ubi non possit Fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa sedis: cui enim alteri dictum est; Ego pro te rogavi, ut non deficiat Fides tua?*

Non absimilia habent in scriptis suis, S. Optatus Milevitanus: S. Avitus Episcopus Viennensis: S. Bonifacius Archi-Episcopus Moguntinus, Germaniæ Apostolus & Martyr: S. Anselmus: S. Ivo Car-

notensis: Petrus Cluniacensis & Cellensis &c: Item præter S. Agathonem & S. Leonem, alij decem antiqui, & Sancti Pontifices Romani, Lucius Martyr, Felix I, Zozimus, Cælestinus I, Pelagius I. Nicolaus I, Nicolaus II, Gregorius VII, Innocentius III, quorum verba vide apud Bellarminum lib. 4 de Romano Pontifice, Melchiorem Canum lib. 5. de locis Theologicis, Cælestinum Sfondrati in Gallia vindicata, observat: 4. &c.

Idem censuerunt de infallibilitate Pontificis, ultra centum, Sanctorum Catalogo adscripti.

Ex Doctore Angelico.

Theologorum Princeps, & Theologiæ Angelus, Divus Thomas 2.2. q. 1. ar. 10: *Dicendum est*, (inquit) *quòd nova editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores: ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctoritatem pertinet, finaliter determinare ea, quæ sunt Fideì, ut ab omnibus inconcussa Fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in decretal. lib. de Baptismo. c. majores, unde & Dominus, Lucæ 22. Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit; Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos; & hujus ratio est: quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud 1. ad Cor. 1. Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata, quòd firmari non posset, nisi quæstio de Fide exorta, determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest: ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur: Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet, nova editio symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam.* Et 2. 2. q. 11. ar. 2. ad 3. *Contra auctoritatem Summi Pontificis, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum suam sententiam defendit.* Item quodlibet: q. 7. ar. 16. *Magìs standum sententiæ Papæ (adquem pertinet determinare de Fide, quam in Judicio profert) quàm quorumlibet sapientum in scripturis opinioni.* Idem cum S. Thoma sentiunt S. Bonaventura Doctor Seraphicus, Alensis, Albertus Magnus, Richardus, Valdensis, Cajetanus, Hosius, & jam omnes ferè nobiliores Theologi. Imò magnus Suarez, de Fide disp. 5. sect: 8. num. 4. dicit: *Veritas Catholica est, Pontificem definientem ex Cathedra, Fidei Regulam esse, quæ errare non potest; Ita docent hoc tempore omnes Catho-*

Catholici Doctores. Doctiſſimus etiam Petrus de Marca, Archi-Epiſcopus Toloſanus in obſervationibus ſupra Theſes Claromontanas 1662. teſtatur, ſententiam de infallibilitate Pontificis, eſſe omnium univerſitatum Chriſtianitatis, quin & omnium ferè Doctorum univerſitatis Pariſienſis. Inſuper Aſſertio noſtra.

Confirmatur Imo. Receptiſſimâ praxi, & ſenſu Eccleſiæ: in controverſijs enim Fidei, recurſus fieri conſveverat ultimatò, non ad univerſitates, & Doctores Theologiæ, ſed ad Pontificem Romanum: ſeu ut in exordio literarum ſuarum 85. Galliæ Epiſcopi ad Innocentium X. datarum, loqvuntur: *Majores cauſas* (Fidei) *ad Sedem Apoſtolicam referre, ſolennis Eccleſiæ mos eſt.* Unde & ijdem 85. Præſules, genere, doctrina, & pietate Illuſtriſſimi, exortô Janſeniſmô, pro deciſione controverſiæ de famoſis quinq; propoſitionibus Janſenij, per literas & nuntios ſuos, recurſum ultimatò habuerunt, anno 1653. ad Innocentium X, tanquam ad infallibilem controverſiarum Judicem, in illis enim literis fatentur: In Sede Apoſtolica, Fidem Petri nunquam deficere: Summi Pontificis è cathedra pronuntiantis Decreta hujuſmodi eſſe, ut omnibus cavillis & effugijs locum penitus intercludant: Eſſe vocem & imperium Chriſti: illis omnem caliginem diſcuti, animas fluctuantes componi &c. Eandem infallibilitatem agnoverunt, & ſcriptis conſignârunt eodem anno, Galliæ Antiſtites Pariſijs congregati numero 30. inter alia enim in literis ſuis ad Innocentium X. datis, poſtquam Janſenij propoſitiones damnaverat, 19. Julij ſcripſerunt: *Sententiâ Innocentij hæreſim Janſenij proſcriptam eſſe: omnium Pontificum Romanorum ſententias, pro ſancienda regula Fidei, ſumma Divinaq; per univerſam Eccleſiam auctoritate niti &c.* Literas ipſas eorundem vide apud Platelium tomo 3. à num. 124.

Ex praxi continua, & multifarijs alijs rationibus

Accedit. Quia Pontifices Romani ſæpe damnârunt hæreſes ſine Concilio Generali, ut hæreſim Pelagij, ſemipelagianorum, Joviniani, Vigilantij, Berengarij, Abailardi, Gilberti Porretani, Petri Oſmani, Janſenij, demùm anno 1687. Michaëlis de Molines: & quidem ita damnârunt, ut damnationem ab ijs factam, tanquam infallibilem, Univerſa Eccleſia orthodoxa comprobaverit. Hinc S. Proſper adverſùs collatorem ait: *Tunc Pelagianorum machinæ fractæ, quando beatæ memoriæ Innocentius, nefandi erroris capita, Apoſtolico mucrone percuſſit.*

Confirmatur 2dò: Quia Concilia Provincialia, eo ipſo, quòd à Pontifice confirmantur in ſuis Decretis Fidem concernentibus, habentur in Eccleſia, ut Regula Fidei: prout conſtat de Concilio Provinciali Arauſicano 2do, Milevitano, varijſq; Toletanis, Romanis & Carthaginenſibus: ut videre eſt apud Bellarminum, Suarez & alios. Ergo citra Concilium Generale habetur infallibilitas in Decretis Fidei, à Papa toti Eccleſiæ propoſitis: acceptatio verò Eccleſiæ, licèt confirmet hanc infallibilitatem, non tamen eam tribuit: ſicut extra omne dubium, non tribuit Concilio Generali, approbato à Pontifice Romano.

Confirmatur 3tiò, Quia ut rectè notârunt multi, cæteræ ſedes Patriarchales defecerunt à Fide vera, & ab hæreticis ac hæreſiarchis inſeſſæ, & poſſeſſæ fuerunt. In Sede enim Conſtantinopolitana, ſederunt Macedonius, Neſtorius, Sergius, Hæreſiarchæ. In Alexandrina, Georgius, & Lucius Ariani: Dioſcorus, Eutychianus, Cyrus, Monothelita &c. In Antiochena, Paulus Samoſatenus, hæreſiarcha, Petrus Gnapheus, Eutychianus, Macharius, Monothelita &c. In Hieroſolymitana, Eutychius, Iræneus, & Hilarius, Ariani: Joannes, Origeniſta. Nullus autem Pontifex Romanus verè oſtendi poteſt, qui in Fide erraverit, prout demonſtrat Bellarminus in libris de Romano Pontifice, ubi lib. 4. c. 8. 9. & ſequentibus, objectiones de S. Petro (ad Gal. 2.) quaſi judaizante, de Liberio Papa ſubſcribente ex metu damnationi Sancti Athanaſij, item de alijs ſolidè diſſolvit. Idem præſtiterunt plures ſcriptores Eccleſiaſtici præſertim controverſiſtæ. Patebit id etiam ex dicendis proximè. Unde infertur Chriſtum Dominum pro Petro, & ejus Succeſſoribus abſolutè & efficaciter oraſsê, ne deficiat Fides eorum.

Ex dictis habetur. Certum jam eſſe apud omnes ferè Catholicos, quòd Papa, dum loquitur ex Cathedra etiam extra Concilium, non poſſit errare in Decretis Fidei, toti Eccleſiæ propoſitis: ſtante tamen hac infallibilitate, congruum eſt, identidem convocare Concilia Generalia, utpote multùm proficua ad faciliorem Decretorum executionem: ad hæreticorum pervicaciam efficaciùs comprimendam: imò & ad Fidei controverſias, altiùs diſcutiendas.

Certum item eſt, Papam non poſſe errare in Decretis Morum obli-

obligantibus totam Ecclesiam. Eædem enim rationes, quæ militant pro infallibilitate Papæ in Decretis Fidei, militant & pro ejus infallibilitate in Decretis morum, præcipuè quia error in materia Morum, reducitur ad errorem in materia Fidei. Est item ferè omnium Theologorum sententia, quòd Papa in controversijs Fidei, sit infallibilis etiam in illis quæstionibus facti, quæ ita conjunctæ sunt, & permixtæ quæstionibus Juris, ut á negatione facti, consequentia duci possit ad negationem Juris. Quales sunt: An libri à Luthero, Calvino, Jansenio editi, & ab Ecclesia ob hæresim proscripti, contineant hæresim? Et: An Evangelium S. Joannis contineat sanam doctrinam? His tamen stantibus, communiter docetur, quòd Papa, ut Doctor privatus errare scienter possit in quavis materia. Conveniunt item omnes Orthodoxi, teste Bellarmino lib. 4to de Romano Pontifice cap. 2. in hoc: Quòd Papa, etiam ut Summus Pontifex, & cum suo cætu Consiliariorum, vel cum Generali Concilio errare possit in controversijs facti particularibus, quæ ex informatione, testimonijsq; hominum præcipuè pendent. Hinc S. Thomas quodlib. 9. art. 16. dicit: *In sententijs, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est Judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes.* Ex talibus quippe erroribus nullum grave damnum in Ecclesiam Universalem promanat. Nequit tamen errare in Sanctorum Canonizatione: Siquidem Decretum Canonizationis spectat ad Decreta fidei, & morum, obligantia totam Ecclesiam, errorq; talis repugnat doctrinæ & Sanctitati Ecclesiæ. Hinc S. Bonaventura in opusculo contra Gvilhelmum de S. amore, hæresiarcham scripsit: *Ad infidelitatem spectat de Sancti Canonizati gloria dubitare.* Idem asserunt plurimi Theologi cum Valentia, Ricciolo, Tannero &c: Quanquam Gerson, Suarez, Vasquez, Bannez, dicunt, esse quidem certissimum, non posse Papam errare in Canonizatione, licèt non sit hoc de Fide. Quamvis verò (ut notant Theologi cum P. Valentia) testimonia, quæ pro alicujus hominis Sanctitate afferuntur, sint humana, ideoq; naturâ suâ fallibilia: tamen posito, quòd Pontifex illis inducatur ad pronuntiandum quendam Sanctum ac Beatum jam esse, certissimum est, testimonia illa (quatenus in genere saltem probant piè ac sanctè quenquam ex hac vita excef-

Infallibilitas Papæ ad quenã se insuper extendat? proponitur.

excessisse) vera esse, & hominem ejusmodi ex eorum esse numero, quos per Revelationes generales in communi constat Divinæ gratiæ beneficiô consequi æternæ vitæ beatitudinem. Quæ sanè certitudo ijsdem illis DEI promissionibus nititur, ex quibus compertum habemus, nunquam esse futurum, ut universa Ecclesia in rebus Religionis, fallatur: Falleretur autem graviter in negotio Religionis, si sanctum putaret, ac pro tali veneraretur eum, qui talis non est. Certissimum item est apud Theologos, quòd Pontifex Romanus errare non possit in approbatione Religionum, quantùm ad Constitutiones & leges earum, quoad honestatem & bonitatem moralem earum. Unde dicit S. Thomas opusc. 19. cap. 4: *Cùm aliqua Religio per Sedem Apostolicam constituta est, manifestè se damnabilem ostendit, qui talem Religionem damnare conatur.* Et ratio est, quia Ecclesia in materia morum errare non potest (cum hoc repugnet Sanctitati & veritati Ecclesiæ) consequenter nec Caput ejus, in quantum Caput, sive in quantum Pontifex. Nec enim est major securitas non errandi in materia morum, in reliquo Ecclesiæ corpore, quàm in suo capite: sed potiùs è converso: Etenim ne erraret Ecclesia, promissio facta est Magistro & Capiti; unde hæc securitas non errandi, priùs residet in Magistro, & ex illius securitate resultat securitas in Ecclesiam, ut sapienter advertit P. Cardenas cum alijs Theologis.

CAPUT I.

ASsero Imò. Admirandè erronea est Propositio Jansenij hæc. Aliqua DEI Præcepta, hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.

Falsitas propositionis Primæ Jansenia-

PRobatur Primò. Innocentius X, Alexander VII, Clemens XI, (quorum Bullas vide in fine I. Partis Tractatûs mei) declarârunt & definiverunt, dictam Propositionem esse temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam. Quin jam antea eam damnaverat S. Pius V, & Gregorius XIII. in proscriptis

à se

à se Propositionibus Michäëlis Baji, inter quas est 54ta desumpta ex ejus libro de Peccato Originali cap. 12. hæc: *Definitiva hæc sententia: DEUM homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagij sit.* Ergò defacto graviter erronea est dicta Propositio: nam Pontifex Summus non potest errare in suis Decretis Fidei, toti Ecclesiæ propositis, ut suprà ostensum. Quod ipsum videtur non difiteri ipsemet Jansenius, dum de Romano Pontifice, in suo Augustino Tom: 3. lib: 1. cap: 29. ait: *Apud eum solum incorrupta Patrum servatur hæreditas.* Simili argumento ex infallibilitate Papæ in Decretis Fidei, solidè probantur, & aliæ nostræ Assertiones contra Propositiones Jansenii damnatas.

ne, multipliciter evincitur, etiam ex eo, quia est desumpta ex Lacunis Lutheri & Calvini, opponiturque Scripturæ, & Patribus illa Propositio.

Probatur 2dò. Tum quia, si quis persvadeat sibi, DEUM impossibilia præcepisse, facilè descendet in horrendam illam blasphemiam, ut sentiat, DEUM esse injustum, & crudelem, non esse amandum, &c. Tum quia dicta Propositio Jansenii, sat clarè adversatur Scripturæ sacræ; hæc enim hortatur ad omnium Præceptorum divinorum observationem, appromittitque gratiam, quâ Præcepta adimpleri queant Prima Joannis 5to v. 3. *Hæc est charitas DEI, ut mandata ejus custodiamus: & mandata ejus gravia non sunt.* Matthæi 11mo. v. 30. Christus dicit: *Jugum meum svave, & onus meum leve.* Quid ni forent mandata gravissima, & jugum intollerabile, si nec vires, nec gratia adsint, quibus impleri, & supportari possint: Nec adsint vires ad orandum, quâ oratione possit illa gratia impetrari?. Prima ad Corinth 10. *Fidelis DEUS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Ecclesiastici 15. *Non dixeris, per DEUM abest*, vel ut legunt septuaginta, & S. Augustinus de Gratia & libero arbitrio cap. 2 *Non dixeris: propter Dominum recessi*, vel ut alii ex Græco: *Per DEUM factum est, ut defecerim.* Id est, ne dicas: per DEUM stare vel per carentiam auxilii ejus fieri, quo minus Præcepta ejus serves, & ipsi adhæreas.

Probatur 3tiò. Quia illa Sententia Jansenistica, non est ex Scripturæ sacræ, vel Augustianianæ, aliorumque Sanctorum Patrum doctrinæ limpidissimis fontibus hausta, verum ex Lacunis Calvini, Lutheri, Melanchtonis, aliorumq; hæreticorum: Sic enim Calvinus libro 2do Institutionum cap. 7. *Sit extra controversiam, impossibile esse in*

hac carne, legis implementum - Quòd autem impossibilem legis observationem diximus, id est paucis verbis explicandum, simul & confirmandum: solet enim vulgo (imò universæ Ecclesiæ Orthodoxæ) *absurdissima sententia videri.* Similia habet in Antidoto Concilij Tridentini ad Sessionem 6tam. Lutherus in Confutatione rationis Latomianæ: *Tot scripturæ testimonia probant, mandatum esse impossibile nobis: ut nihil sit manifestius.* Et in respon: ad dialog. Sylvestri: *pessimè facis, quòd negas Salvatorem impossibilia jussisse: plus quàm pessimè facis, quòd hoc falsitatem audes appellare: non possumus in hac vita mandata DEI implere.* Melanchton ad cap. 4. Epist. ad Rom. edit. 1. *Cùm mandat lex diligi DEUM, perinde impossibilia jubet, atq; si præcipiat nobis transvolare Caucasum.* Joannes Monhemius dial. 3. *Nemo quantumvis perfectus, præstare potest, quod lex jubet.* Porro hanc doctrinam sectariorum damnat Scriptura Sacra, & recta ratio: ut vidimus supra; damnant Concilia & SS. Patres. Concilium Arausicanum 2dum, celebratum contra Semipelagianos, & quoad suos omnes Canones 25, seu Capitula, confirmatum à Cælestino I. Papa: vel ut alij volunt á Leone I, sic Capitulo seu Canone 25. id est ultimo, dicit: *Hoc etiam secundùm Fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati (Christo auxiliante & cooperante) quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Quid simile declarat Concilium Moguntinum cap. 9. Insuper Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 11. habet hæc: *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub Anathemate prohibita voce, uti debet. DEI præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam DEUS impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Et eadem Sessione 6ta, Canone 11mo: *Si quis dixerit, præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.*

S. Hieronymus lib. 3. adversùs Pelagianos: *Quòd DEUS possibilia mandavit, hoc nulli dubium est.* Et en Jansenius, cum Calvino, Luthero, alijsq; heterodoxis, non solùm dubitat de hoc, verùm pervicaciter id etiam pernegat.

S. Basilius oratione in illud: *attende tibi,* ait: *Impium est dicere, impossibilia esse spiritûs præcepta.*

S. Chry-

S. Chrysostomus Homilia 16. in Epist. ad Hebræos: *Non potes dicere: non possum: neq; accusare Conditorem; si enim impotentes nos fecit, & deinde imperat, culpa ejus est. Quomodo ergò, inquis, multi non possunt? Quomodo ergo multi nolunt? si enim voluerint, omnes poterunt: habemus quippè Cooperatorem & Coadjutorem DEUM, tantùm velimus, tantùm opere accedamus ad rem ipsam.*

S. Leo de Passione Domini: *Justè instat præceptô, qui præcurrit auxiliô.*

S. Augustinus, apertè militat contra Jansenium: dicit enim lib. de Fide contra Manich. cap. 10: *Quis non clamat, stultum esse dare præcepta ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere: & iniqvum esse, eum damnare, cui non fuit potestas, jussa complere?* Lib. de Natura & Gratia cap. 69: *Firmissimè creditur, DEUM justum & bonum, impossibilia non potuisse præcipere.* Hujus S. Doctoris vide plures Textus infra in Tractatus hujus 1ma parte cap. 6to.

Quis ergò non censeat dictam Propositionem Jansenii esse admirandè erroneam? si ex una parte, attentè perpendat, evidenter repugnare Scripturæ sacræ, definitionibus Summorum Pontificum & Conciliorum, Sanctorumq; Patrum, & S. Augustini doctrinæ: Ex altera verò parte, advertat, illam in elenchum verissimarum Orthodoxarum & S. Augustini Propositionum, collocatam à Jansenio, inquam, Episcopo, qui se Orthodoxum haberi vult, agnoscitq; infallibilitatem Papæ in decernendis assertis Fidei. Tomo enim 2. sui Augustini lib. 1. cap. 29. scripsit: *Mihi constitutum est, ad extremum usq; Spiritum Romanam Ducem sequi Ecclesiam, & Beatissimi Petri in Romana Sede successorem. Super illum hanc Petram, ædificatam Ecclesiam scio: quicunque cum illo non colligit, spargit: apud eum solùm incorrupta Patrum servatur hæreditas.*

Ad meliorem intelligentiam, & confirmationem dictorum.

NOta Imò. Falsum esse, quòd homo ob peccatum originale in Adamo contractum, contraxerit debitum carendi gratiâ ad observationem præceptorum necessariâ, & ideò transgressionem esse nobis imputabilem, nempè in sua causa, adeoq; nos peccare, licèt desa-

Ratione peccati Originalis

non contrabitur debitū carendi gratiâ ad observanda Præcepta Divina.

defactò nobis desint vires & gratia ad orandum & obediendum. Falsum inquam. Tum quia, præter dicta, Alexander VIII. 1690. 7. Decembris inter Propositiones 31, hanc, quæ est 1ma, damnavit. *In statu naturæ lapsæ, ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, quo voluntarium & liberum fuit in causa sua, peccato Originali, & libertate Adami peccantis.* Tum quia aliàs, actiones materialiter malæ dormientium, amentium, puerorum, licèt nullam habent actualem libertatem, essent peccata formalia. Quod quis admittat, nisi enormiter desipiat. Tum quia, in justificatis nihil damnationis manet, ut loquitur Tridentinum Sessione 5. Sripturaq; Sacra docet, DEUM omnium omnino oblivisci peccatorum. Pulchra sanè oblivio, denegare justis ob peccata præterita, gratiæ auxilia ad orandum & ad implenda præcepta, perseverandumq; in accepta justitia, sine quibus auxilijs impossibile est ea implere & perseverare.

Hoc Præcepto: Non concupisces: *quid probibetur?*

Nota 2dò. Illo præcepto: *Non concupisces.* Non prohibentur concupiscentiæ motus, rationem prævenientes: hi enim vitari in præsenti vita nequeunt: ast prohibetur consensus voluntatis, qui est in nostra potestate. Unde dicit S. Augustinus lib. 1. deNuptiis & concupiscentijs cap. 23. *Ipsa concupiscentia non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera, non consentitur.* Concupiscentia in actu 1mo sumpta, vocatur à S. Paulo peccatum. Non ex eo, quòd ipsa sit in se peccatum, & vera legis inobedientia: sed quia est effectus & causa peccati, ut explicat S. Augustinus, & alij Patres. Nec, item præcepto illo: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo*, præcipitur, ut nihil diligamus præter DEUM; at, ut eum, ejusdem amorem præferamus omnibus rebus creatis, & amori illarum: Nulliusq; creaturæ amore, vel timore, velimus separari à charitate DEI; quod præceptum plurimi Sancti impleverunt, & implent. Veritas Notati hujus comprobatur. Quia inter Baji Propositiones damnatas, est 50ma hæc: *Prava desideria quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto: Non concupisces.* Item 76ta: *Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum: Diliges Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo.*

Omnibus hominibꝰ

Nota 3tiò. Non solùm omnibus hominibus justis, adultis quovis tempore DEUS dat gratiam sufficientem ad vitanda peccata, & ser-

ſervanda DEI Præcepta: ut certum ex Fide, juxta ſuperiùs dicta: Verùm etiam juxta communiſſimam Theologorum doctrinam, DEUS adultis omnibus injuſtis etiam infidelibus, & barbaris, quamdiu ſunt Viatores, providet media proximè vel remotè ſufficientia ad converſionem & juſtificationem. Doctrina hæc fundatur 1mo in auctoritate ſcripturæ: Nam dicitur Ezechielis 18. *Numquid voluntatis meæ eſt, mors impij, & non ut convertatur à vijs ſuis, & vivat?* Invitat item omnes DEUS ad ſe juxta illud Matthæi 12. *Venite ad me omnes &c:* quæ invitatio foret illuſoria, ſi aliquibus negaret auxilia ſufficientia ad veniendum. S. Paulus ad Timotheum 2do. *Obſecro imum omnium fieri obſecrationes pro omnibus hominibus, hoc enim acceptum eſt coram Salvatore DEO, qui omnes vult ſalvos fieri.* Voluntate utiq; ſincera, quantum eſt ex parte ſua, & non fallaci. 2da Petri 2do: *Non vult DEUS aliquos perire, ſed omnes ad pænitentiam converti.* Janſenius cum Beza, Calviniſtarum Anteſignano, reſpondet quidem S. Petrum loqui tantùm ad Electos. Verùm contra eſt. Tum quia S. Petrus, ſcribit ad fideles Chriſtianos, quos appellat electos ad Fidem, inter quos non dubitatur, quin eſſent reprobi, quos proinde voluit DEUS ſalvare. Tum quia citata verba accipiunt & intelligunt Sancti Patres in ſenſu noſtro. Tum quia univerſaliter, verba Scripturæ Sacræ accipienda ſunt ſine ulla limitatione, ſi nullum inde ſequatur inconveniens: uti hic defacto nullum ſequitur. 2do. Fundatur in ſenſu Conciliorum, & Sanctorum Patrum. Inter alia enim Concilium Tridentinum Seſſione 6ta cap. 11. dicit: *DEUS impoſibilia non jubet &c:*

adultis, viatoribus, etiam barbaris providet DEUS media ſufficientia, ad converſionem, & juſtificationem.

S. Ambroſius in 1mam ad Timotheum cap. 2. *Si DEUS, qui omnipotens dicitur, omnes homines ſalvos vult fieri, cur non impletur ejus voluntas? ſed in locutione ſenſus eſt, conditio latet, vult enim DEUS omnes ſalvos fieri, ſed ſi accedant ad eum: non enim ſic vult, ut nolentes ſalventur, ſed vult illos ſalvari, ſi & ipſi velint. Nam utiq; qui legem omnibus dedit, nullum excipit à ſalute? Numquid non Medicus idcirco proponit in publico, ut omnes ſe oſtendat velle ſanare, ſi tamen ab ægris requiratur.* Quid clarius dici poterat? S. Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera cap. 33. *Vult DEUS omnes homines ſalvos fieri, non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quô malè vel benè utentes, juſtiſſimè*

judicentur. S. Paulinus Epist. 2. ad Severum: *Omnem, quantum in ipso est, salvum fieri vult, qui fecit omnes.* S. Prosper, quem Jansenistæ, unum è suis numerant: ipseq; Jansenius lib. 16. de Gratia Christi cap. 15. fatetur, S. Prosperum nunquam recessisse à Magistri sui S. Augustini doctrina, in ijs, quæ libertatem, & gratiam concernunt: hic inquam S. Prosper, ad Objectiones Vinc: Resp. 2. ait: *Sincerissimè credendum atq; profitendum est, DEUM velle, ut omnes homines salvi fiant, siquidem Apostolus præcipit, ut DEO pro omnibus hominibus supplicetur; ex quibus, quòd multi pereunt, pereuntium est meritum: quòd multi salvantur, salvantis est donum.* Idem in lib. ad Arti: falsò impositos Augustino, art. 15. dicit: *Nemini DEUS correctionis adimit viam, neq; boni possibilitate despoliat.* S. Thomas 3. contra gentes cap. 159. *DEUS, quantum in se est,* (id est, voluntate de se sufficienti, providente media saltem remotè sufficientia ad omnium salutem) *paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvari, & ad agnitionem veritatis venire.* 3. parte q. 86. art. 1. ait: *Dicere, quòd aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pænitere non possit, erroneum est.* Et q. 14. de Veritate art. 11. ad 1. dicit: *Si quis in Sylvis, ductus luminis naturalis sequeretur in appetitu boni vel fuga mali, certissimè tenendum est, quòd ei DEUS, vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ credenda sunt: vel aliquem Fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, Actorum 10.* 3tiò. Fundatur in rationibus validis. Tum quia aliàs, peccatores & infideles, essent excusabiles in sua impænitentia & infidelitate. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* ut loquitur S. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. Tum quia alioqui, multi Viatores in statu naturæ lapsæ, non essent Viatores: Viator enim debet esse præditus potestate accedendi ad terminum; per hoc enim differt à damnato, qui jam est in termino: si autem non daretur gratia sufficiens, tam multi non essent præditi hac potestate: Gratia enim sufficiens, est potestas accedendi ad terminum, qui est Patria æterna Cælestis. Tum quia decet Divinam ineffabilem bonitatem, ut omnes sufficienter juvet ad suum ultimum finem, ne ullus dicere in extremo Judicio possit: Non potui vitare peccata: Non potui tua præcepta servare: Non potui salvari, quia noluisti me juvare, & ad hoc sufficien-

cientiam præſtare. Accedit. Quia Alexander VIII, inter 31. Propoſitiones à ſe damnatas, repoſuit, & hanc Propoſitionem 5tam. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliiq; hujus generis, nullum omnino accipiunt à JESU Chriſto influxum: adeoq; hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.*

Advertè. Licèt gratia ſupernaturalis non debeatur libero hominis arbitrio, nulla facta ſuppoſitione, tamen ei debetur, ſuppoſita obligatione præcepti ad actum ſupernaturalem, debeturq; ratione ipſius præcepti: DEUS enim utpotè juſtiſſimus, nequit obligare ad impoſſibile, unde ſi obligat ad actum ſupernaturalem, debet ei conferre vires ad talem actum eliciendum abſolutè ſufficientes. *Execramur enim* (verbis loquor S. Auguſtini ſerm: 191. de tempore) *blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile à DEO præceptum aliquid eſſe.* Dicitur quidem Joannis 12: *Non poterant credere.* Sed benè reſpondet S. Auguſtinus Tractatu 53. in Joannem: *Si à me quæratur, quare non poterant credere? Citò reſpondeo: quia nolebant.*

Infantibꝰ qualiter DEus media ſufficientia ad ſalutem providet?

Nota 4tò. Infantibus omnibus, non tantùm in Adamo, ſed etiam poſt peccatum Adæ, providet DEUS media, in voluntate aliena, ad ſalutem aliquo modo ſufficientia. Ratio eſt. Tum quia *DEUS*, teſte S. Paulo, *vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem* (ſcilicet habitualem, per habitum Fidei, & etiam ad formalem, ſuo tempore, ſi adoleſcant) *veritatis venire.* Quam Sententiam Apoſtoli, etiam ad parvulos extendi, docet clarè S. Auguſtinus lib. 4. cap. 8. dicens contra Julianum: *Numquid enim parvuli homines non ſunt, ut non pertineant ad id, quod dictum eſt: Omnes homines vult ſalvos fieri.* Tum quia aliàs, parvulorum iſtorum non eſſet Redemptor, Chriſtus: illis enim ad peccatum originale tollendum, nihil meruiſſet, quod dici non debet; Si enim Adam omnes perdidit, etiam Chriſtus omnes redemit, licèt non omnes efficaciter abſolutè. Tum quia baptiſmum DEUS omnibus infantibus providit in nova lege, tanquam ſufficiens ſalutis medium, quantum eſt ex parte ſua, & quidem infantes nati, ſi per culpam ſe gubernantium, moriantur ſine baptiſmo, habuerunt gratiam proximè ſufficientem, ſtat enim in ſola culpa gubernantium, quòd non baptizentur: Illi verò, qui ex accidente, in utero materno moriuntur; citra ullius culpam, adhuc habent gratiam remotè ſuffi-

cien-

cientem, nempe baptiſmum ipſis proviſum, licèt ex curſu cauſarum ſecundarum & circumſtantiarum, impedientium proximam potentiam recipiendi baptiſmum (quem curſum non tenetur DEUS, utpotè Cauſa una, & Proviſor Univerſalis impedire) contingat, ut illis tale medium non applicetur.

Accedit. Probabile eſſe, quòd Parentibus, ſive immediatis, ſive mediatis, DEUS dare ſoleat eas inſpirationes ad parvulorum ſalutem ordinatas, ut ſi illis reſponderent, non morerentur ſine baptiſmo, imò & curſum cauſarum ſecundarum naturalium, qui obſtaculo eſt ad baptiſmum obtinendum, fortè DEUS impediret, ſi Parentes virtuosè vivendo, pro parvulis orando, culpas aliquas declinando, mererentur hanc DEI ſpecialem providentiam. Hocq; ipſum confirmatur ex S. Proſpero, qui lib. 2. de Vocatione Gentium cap. 22. ait: *Non irreligiose arbitror credi, neq; inconvenienter intelligi, quòd iſti paucorum dierum homines, ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, quâ utiq;, ſi benè uterentur eorum Parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur.*

Explicatur Axioma illud: Facienti, quod ex ſe eſt, DEUS non denegat Gratiam.

Nota 5tò. Illud axioma: *Facienti, quod ex ſe eſt, DEUS non denegat gratiam*, à Theologis approbatum, & â S. Thoma, tum alibi, tum in 2. diſt. 28. q. 1. uſurpatum, divinæque bonitati maximè congruum, explicari ſolet præcipuè dupliciter. *1mo* Sic: Facienti, quod in ſe eſt per vires gratiæ ſupernaturalis, DEUS non denegat ulteriores gratias, & ipſam juſtificationem, & ſalutem. Et in hoc ſenſu axioma illud eſſe veriſſimum, certumque eſt apud omnes Catholicos, conſtatque veritas ejus etiam ex dictis ſuprà. *2dò.* A Sfortia Pallavicino, P. Herice, & pluribus recentioribns Theologis, ſat rectè explicatur etiam ſic; Nempe, quòd homini, ſeu infideli, ſeu fideli peccatori, ſervanti legem naturalem, & elicienti actus naturales honeſtos, quantum poteſt per gratiam intrinſecè, quòd inquam tali homini providet DEUS gratiam intrinſecè ſupernaturalem, ex vi pacti initi cum Chriſto, ita tamen, ut operatio honeſta naturalis, neque ſit meritum ullum de condigno, vel de congruo (hoc enim ſapit Semipelagianiſmum, de initio ſalutis ex viribus naturæ) neque diſpoſitio ex natura ſua: cùm ſint hæc longè diverſi Ordinis: neq; impetratio (quia impetratio gratiæ, debet eſſe ab impetrante, conſti-

tuto

tuto in gratia supernaturali: cùm tamen honestè naturaliter operans supponatur illam non habere) sed merè sit per modum occasionis, & conditionis gratuitò assumptæ à Christo, in ordine ad dandam illi ex meritis Christi gratiam. Conditionis inquam, non sine qua, non datur gratia, sed qua posita, datur liberaliter gratia ob merita Christi. Unde dum dicitur: DEUS ideo dat gratiam supernaturalem Petro, quia Petrus fecit, quod in se est. Li, *quia*, non significat ullam causalitatem vel dependentiam, sed tantùm conditionem gratuitò assumptam à Christo, acceptatam à DEO. An autem gratia hæc detur efficax, an verò tantùm sufficiens, pendet id à DEI beneplacito.

CAPUT II.

Assero 2dò. Admirandè erronea Jansenij est Propositio hæc: Interiori gratiæ, in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur.

2da Jansenianæ propositionis falsitas ostenditur multipliciter.

PRobatur Assertio. Numquid enim non admirandè erronea censenda dicta Propositio, quam Innocentius X, Alexander VII, & Clemens XI. declarârunt, & definiverunt esse hæreticam, ac ut talem damnârunt? Quæ item apertè repugnat Scripturis sacris, Concilijs, Patribus, & rationi: estque germana Soboles hæresiarchæ Calvini, & ejus sequacium. Ut evincitur.

Isaiæ 5 dicitur: *Quid est, quod debui facere vineæ meæ, & non feci? an expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas.* Vana autem foret expostulatio, si DEUS non contulit vineæ id, sine quo impossibile erat fructum ferre: qualis est gratia absolutè sufficiens. Vana expectatio fructûs, ab antecedenter impotente illos producere: qualis est omnis homo adultus, gratiâ interiore DEI, saltem sufficiente, destitutus. Proverbiorum 1: *Vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non erat, qui aspiceret.* Job 24 *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Mathæi 11: *Væ tibi Bethsaida, væ tibi Corozaim, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pænitentiam egissent.* Quibus verbis clarè denotavit Christus, potuisse Bethsaitas & Corozaitas, beneficiô gratiæ, quam ipsis obtu-

lit agere pænitentiam, quam non egerunt, sed gratiæ datæ restiterunt. Matthæi 23: *Quoties volui congregare filios tuos & noluisti*; Actorum 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Ast quænam culpa, quod vitium esset, resistere Spiritui Sancto, non conferenti vires sufficientes ad non resistendum sibi, cum illo sic spectato, impossibile sit præbere consensum? 2. ad Corinth: 6. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam DEI recipiatis.* Apocal. 3. *Ecce sto ad Ostium & pulso, si quis mihi aperuerit.* Concilium Senonense Parisijs inchoatum 1527. 3. Februarij, finitum verò anno sequenti 1528. sub Clemente VII, 9. Octobris, in quo Concilio præter Antonium à Prato Senonensem Archi-Episcopum, Cancellarium Galliarum, fuerunt multi Episcopi, & omnes graves Theologi Parisiensis Academiæ sive Collegij Sorbonici, adq; ad singula Decreta Fidei conficienda, consiliô & doctrinâ cooperati sunt. Hoc inquam Concilium, in Decreto Fidei, 15. dicit: *Nec tamen tantæ gratiæ necessitas, libero præjudicat arbitrio, cùm illa semper sit in promptu - Nec deniq; tale sit ejusmodi trahentis DEI auxilium, cui resisti non possit.* Non absimilia habet Concilium Arausicanum Canone 25. & Tridentinum Sessione 6. cap. 5.

S. Anselmus explicando verba illa S. Pauli: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam DEI recipiatis*, ait: *In vacuum gratiam recipit, qui cum ea non laborat, nec ei suum studium adjungit.* S. Prosper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 26: *Quod à multis refutatur gratia, ipsorum est nequitiæ: quòd à multis recipitur, gratiæ Divinæ est, & voluntatis humanæ.* Et prior his, S. Augustinus q. 2. ad Simplicianum inquit: *Noluit Esau, & non cucurrit, sed etsi voluisset, cucurrisset, DEI adjutoriô pervenisset, qui ei etiam velle & currere præstaret, nisi vocatione contemptâ, reprobus fieret.* Et cap. 6. in libro de Correptione & gratia: *Si autem jam regeneratus & justificatus, in malam vitam, sua voluntate relabitur, certè iste non potest dicere: non accepi, quia acceptam gratiam DEI, suô in malum liberô amisit arbitriô. An adhuc iste nolens corripi, potest dicere: quid ego feci, qui non accepi? quem constat accepisse, & suâ culpâ, quod acceperat, amisisse.* Item q. 68. ex 83. de Vocatis ad nuptias, inquit: *Itaq; nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in libera voluntate.*

Repu-

Repugnat etiam illa Jansenij Propositio, rationi. Nam certum est, homines in natura lapsa obligari ad eliciendos actus supernaturales Fidei, spei, charitatis: obligari item ad vincendas graves tentationes, contrarias illis virtutibus Theologicis: certum item, quòd obligationi huic non omnes satisfaciant, & non satisfaciendo, peccent. Ergò supponuntur habere vires supernaturales, seu gratias sufficientes ad satisfaciendum, quibus resistunt. Ergò falsum est, quòd interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistatur.

Probatur insuper dictam Propositionem esse genuinam sobolem Calvini, & ejus Asseclarum. Calvinus enim in Antidoto Concilij Tridentini ad Sess. 6. pag. 279. scribit: *Dico apertè pugnare, quòd hic pronuntiant Tridentini Patres, cum illa Christi sententia: Quisquis audivit à Patre & didicit, venit ad me. Nam ut prudenter animadvertit Augustinus, inde sequitur, nullum à DEO audire & discere, quin simul in Christum credat; motumq; Spiritûs Sancti sic esse efficacem, ut Fidem semper gignat: constituere autem hoc in hominis optione, ut DEI inspirationi, si velit, auscultet: hoc nullo modo conciliari posse.* Similia habet lib. 2. Institut: cap. 2. Petrus item Molinæus insignis Calvinista ex sensu suorum in Anatome Arminianismi cap. 36. ait: *Pessimum, quod in opinionibus istis negatis reperio, est gratia sufficiens, quam DEUS dicitur dare omnibus hominibus.* Vide Capitis sexti notatum 4tum, ubi respondetur, ad illud quod adducit Calvinus hic ex S. Augustino.

Ad meliorem intelligentiam dictorum, & solutionem in contra objectionum.

NOta Imò. Falsam esse doctrinam Jansenij lib. 2. de Gratia Christi cap. 9. Non dari gratiam internam purè sufficientem. Non dari inquam in statu naturæ lapsæ, seu per peccatum originale corruptæ (quamvis in statu naturæ integræ datam fuisse gratiam sufficientem admittat Jansenius) in præsenti verò statu dicit dari solùm gratiam ex se efficacem, quam vocat gratiam sanitatis; Gratiam medicinalem; Gratiam talem; ut quibus datur, infallibiliter effectum suum operatur. Falsitas hujus doctrinæ, patet ex di- *Datur Gratia interna purè sufficiens.*

ctis & dicendis. Quàm verò implacabile odium Jansenij fuerit adversùs gratiam merè sufficientem, id est, talem, quæ cum voluntate constituat potentiam proximam operandi salutariter, quæ tamen potentia non reducitur ad actum 2dum ob liberam voluntatis resistentiam, constat ex eo: Quia, ut illam eliminaret, ad Calvini castra usq; se transtulit, cum eodem asserendo DEUM hominibus etiam justis volentibus & conantibus impossibilia quædam præcepisse. Nunquam gratiæ interiori in hoc statu resisti. Ad merendum & demerendum sufficere libertatem à coactione, nec requiri libertatem à necessitate. Semipelagianos ex eo fuisse hæreticos, quòd vellent gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare. Insuper, illam gratiam sufficientem, loco supra citato, appellat: *Monstrum Theologiæ, pertinens ad Pelagium.*

Sufficiens gratia non est inutilis.

Nota 2dò. Gratiam merè, seu purè sufficientem, quæ dicitur Antonomasticè, gratia sufficiens: non esse in statu naturæ lapsæ inutile (aliàs fuisset etiam inutilis in statu naturæ integræ: quod tamen ipsemet Jansenius negat) multò minùs perniciosam: licèt enim cum illa non sit voluntas operatura: non fit tamen hoc defectu gratiæ, non idoneæ ad cooperandum, sed fit defectu voluntatis liberè nolentis cooperari illi gratiæ, seu fit, defectu hominis, qui deest Gratiæ DEI, juxta illud ad Hebræos 12. Versu 15: *Contemplantes, nequis desit Gratiæ.* Porrò, sicut habere oculos bonos, seu sufficientiam ad videndum, est beneficium magnum in ordine naturali: quòd si quis claudendo palpebras, non videat, is sibi hoc imputare debet; ita magnum beneficium est in ordine supernaturali, Gratia sufficiens, siquidem complet actum primum ad salutariter operandum: quòd autem non actu conjungatur bono usui voluntatis, id habet ex mera culpa liberi arbitrij. Illustrat hoc ipsum Hugo de S. Victore exemplo hominis existentis in fovea, & nolentis manum apprehendere, vel funem sibi demissum, quò possit extrahi: certè talis debet gratias agere manum porrigenti vel funem, ita & gratiæ agendæ DEO ob datam gratiam sufficientem. Meritò proinde ab Alexandro VIII, inter 31. Propositiones, damnata est Propositio sexta hæc. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm perniciosa est, sic ut proinde meritò possimus petere: à gratia sufficienti, libera nos Domine.*

No-

Nota 3tiò. Gratiam actualem inter alias diviſiones rectè dividi in gratiam abſolutè ſufficientem: in purè ſufficientem; & efficacem. Abſolutè ſufficiens eſt, quæ potentiam reddit completam proximè expeditam ad operandum ſalutariter. Purè ſufficiens eſt, quæ reddit potentiam expeditam ad operandum ſalutariter, illa tamen potentia non exibit in actum ob reſiſtentiam liberæ voluntatis, ejuſdemq; determinationem ad non operandum. Demùm Gratia efficax eſt, quæ non tantùm reddit potentiam proximè expeditam ad operandum ſalutariter, ſed inſuper habet infallibilem connexionem cum operatione ſalutari. Ex his habetur, quòd Gratia abſolutè ſufficiens, ſit genus ad gratiam purè ſufficientem, & efficacem: quodq; Gratia purè ſufficiens, ſit denominatio inadæquatè negativa, qualis eſt, potentia non operans.

Diviſio Gratiæ actualis explicatur:

Nota 4tò. Veriſſimum eſt, fuiſſe alium ſtatum Naturæ integræ, in quo fuerunt primi Parentes ante peccatum: alium eſſe ſtatum naturæ lapſæ, in quo fuerunt primi Parentes poſt peccatum, & omnes poſteri. Prior ſtatus, ultra perfectiones naturaliter debitas, includit etiam per dona ſibi indebita perfectam ſubjectionem partis inferioris ad ſuperiorem, nempe ſubjectionem appetitûs, aliarumq; facultatum ſenſitivarum ad rectam rationem, ipſiusq; rationis ad DEUM, ut finem ultimum. Poſterior ſtatus includit privationem juſtitiæ Originalis, & integritatis, conſiſtentis inter alia, in perfecta etiam ſubjectione partis inferioris ad ſuperiorem. Ex diverſitate tamen utriuſq; ſtatûs, malè infert Janſenius, auxilia gratiæ ſecundùm ſuam entitatem ſpectatæ, potuiſſe in ſtatu naturæ integræ componi cum potentia ad reſiſtendum, secùs in ſtatu naturæ lapſæ; malè inquam, nam etiam in ſtatu præſenti poſſunt componi cum potentia ad reſiſtendum: ut conſtat ex dictis, hoc capite, & 4to. Eſt tamen accidentalis quædam diverſitas inter illa auxilia, conſiſtens in hoc, quòd noſtra gratia poteſt vincere, & vincit fomitem peccati, ſecùs autem gratia Adamo collata in ſtatu naturæ integræ; Unde S. Auguſtinus lib. de Correptione, & Gratia cap. 7. dicit: *Secunda* (id eſt gratia) *plùs poteſt, quâ fit, ut velit, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritûs vincat.* Item, Adamo in ſtatu naturæ integræ collata gratia erat cæteris paribus remiſſior, ſeu non

Quænam differentia inter ſtatū naturæ integræ & lapſæ?

ita intensa ob minorem difficultatem ad benè operandum, ex defectu concupiscentiæ rebellis. In statu verò naturæ lapsæ, gratia ex meritis Christi uberior: confertur ac intensior, ob majorem difficultatem ad benè operandum, ortam ex concupiscentia effreni. Nusquam verò negavit S. Augustinus, dari etiam in præsenti statu gratiam merè sufficientem, nec usquam affirmavit, omnem gratiam, quæ nunc datur, esse efficacem.

Nota 5tò. Cum Patre Ripalda Tomo 3. lib. 1. de Ente supernaturali. Licèt differentia essentialis, necessaria non sit inter auxilia naturæ integræ atq; lapsæ, ea tamen intervenire potest; siquidem in natura lapsa moveri potest voluntas ad resistendum concupiscentiæ ex illustratione & affectione ipsius resistentiæ, quæ honesta est, ex qua illustratione & affectione moveri non potest natura integra, quæ eam resistentiam non patitur. Licèt item regulariter ad efficaciam auxiliorum naturæ lapsæ, major virtus intrinseca, quàm auxiliorum naturæ integræ, necessaria sit, quandoq; tamen necessaria non est. Multi enim sunt actus, quibus concupiscentia parùm aut nihil resistit, nec tentatio obstat externa: vel quia ingenitæ naturæ inclinationi conformes sunt, ut alere filios, diligere Parentes, tueri vitam incolumem: vel quia bonum delectabile oppositum, aut non proponitur, sed aliud bonum honestum oppositum, aut adeò remissè, ut ulla vix sit difficultas superandi. Tota autem necessitas fortioris virtutis auxiliorum naturæ lapsæ, revocatur in resistentiam concupiscentiæ & difficultatem superandam operando honestè. Hæc tamen doctrina locum non habet in diuturna perseverantia justitiæ; quia ad illam obtinendam, plures & graves difficultates, & tentationes, lapsis hominibus occurrunt.

CAPUT III.

Assero 3tiò. Admirandè erronea Propositio est Jansenij hæc: Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Pro-

PRobatur Imò. Tum quia Janſenius, qui ſe Epiſcopum eſſe Catholicum profitetur & Sedis Romanæ infallibilitatem in Decretis Fidei non diffitetur, is inquam non eſt veritus calamô, & ore palàm aſſerere, Propoſitionem illam veritati Orthodoxæ omnino conſonam eſſe, quæ convenit cum Michaëlis Baji propoſitionibus à S. Pio V, & Gregorio XIII. damnatis, è numero enim illarum 39. 66. 67. ſunt hæ: *Quòd voluntariè ſit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit.* *Tertiæ propoſitionis Janſenianæ falſitas, conſtat ex eo etiam, quia teſte S. Thoma, ſubvertit omnia principia naturalis Philoſophiæ.*

Tum, quia S. Thomas Eccleſiæ Doctor Angelicus, dictam Propoſitionem Janſenij, non tantùm cenſuit eſſe hæreticam, ſed inſuper eam meritò repoſuit in elenchum earum propoſitionum, quæ ſubvertunt omnia principia Philoſophiæ naturalis. De Malo enim quæſt: 6. quæ eſt de electione humana, articulo unico habet hæc: *Quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquod eligendum, neq; tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur: non enim omne neceſſarium, eſt violentum. Hæc autem opinio eſt hæretica. Tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe meritorium vel demeritorium, quòd aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit. Eſt etiam numeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolùm contraria Fidei, ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ naturalis. Ad hujuſmodi autem poſitiones ponendas, inducti ſunt aliqui homines, partim propter proterviam, partim propter aliquas rationes Sophiſticas, quas ſolvere non potuerunt, ut dicitur in 4. Metaphyſicæ.* Hucuſq; S. Thomas. Utinam à tanti Doctoris judicio non aberrâſſet unquam Janſenius.

Probatur 2dò. Subvertendo fundamentum dictæ Propoſitionis. Ideo ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ ſufficeret libertas à coäctione, ſeu à violentia, quia (ut docet Janſenius, multiſq; probare intendit lib. 6to. de Gratia Chriſti) in ſtatu naturæ lapſæ convenit homini ſolùm libertas à coäctione, non verò libertas indifferentiæ, ſeu libertas à neceſſitate. Sed hoc fundamentum eſt graviter erroneum. Tum, quia id ipſum eſt error craſſus Vicleffi, Lutheri, Calvini: Thomas enim Valdenſis lib. 1. Doctrinalis Fidei cap. 23. de Vicleffo & ejus Aſſeclis ſcribit hæc: Viclef- *Fundamẽtum inſuper illius 3tiæ Propoſitionis Janſenianæ ex varijs Capi-*

tibus est graviter erroneum.

Vicleffistæ communiter respondent, quòd DEUS non necessitatur, necessitate coactionis ad bonum vel malum futurum: quia illa sola tollit arbitrij dignitatem, non autem alia necessitas præveniens absolutè futuritionem effectûs. Et cap. 24. dicit, Propositionem Vicleffistarum esse *Non invitè peccavit, quia voluntate sua necessaria peccavit.* Hanc verò doctrinam Vicleffi Concilium Constantiense sessione 8va damnavit. Lutherus item Tomo 3. de libero arbitrio ait: *Sequitur necessariò nos operari, necessariò dico, non coactè.* Et in Assert. articulo 36. dicit: *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu Titulus sine re. quia nulli est in manu sua quidquam cogitare mali aut boni: sed omnia, ut Viclefsi articulus Constantiæ damnatus rectè docet, de necessitate absoluta eveniunt.* Bucerus lib. de Concordia doctrinæ, explicans suum Lutherum dicit: *Quòd solam libertatem à necessitate negaverit, sed libertatem à coactione concesserit.* Calvinus lib. 2do Instit: cap. 2. §. 7. ait: *Liberi ergo arbitrij hoc modo dicitur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, sed quia malè voluntate agit, non coactione.* Et lib. 2. adversus Phigium: *Si coactioni* (intellige, soli) *opponitur libertas, liberum esse arbitrium constanter assevero.*

Tum, quia fundamentum illud Jansenij adversatur Concilio Senonensi, & Tridentino, asserentibus. *Posse resisti auxilio DEI.* Proinde asserunt hominem liberum esse etiam à necessitate. Adversatur item Sanctis Patribus.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Joannem cap. 10: *Rationali creaturæ liberam potestatem Creator largitus est, & suæ voluntatis habenas, cuique commisit, ut in eo sit, quidquid probaverit, eligere.*

S. Hilarius super Psal: 2. *Unicuique nostrûm libertatem vitæ, sensûsque permisit DEUS, non necessitatem in alterutrum affigens.*

S. Augustinus lib. de duabus animabus cap. 12. *Peccati reum teneri quemquam, qui non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insaniæ; quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, si naturâ non voluntate faciunt, id est: si libero ad faciendum & non faciendum* (en, libertatem á necessitate) *motu animi carent, si denique abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus, si ita coguntur, ut resistendi nulla potestas sit, non peccant.* Hic S. Doctor, tria membra ponit 1. quòd qui non habet libertatem indiffe-

differentiæ ad faciendum peccatum, non peccat. 2. Qui non habet libertatem indifferentiæ, ad abſtinendum à peccato, non peccat, 3. deniq; ; qui cogitur ad peccatum, quòd etiam iſte non peccat. Item libro de natura & gratia cap. 68. Plurimum approbat ſententiam illam Divi Hieronymi libro ſecundo in Jovinianum: *Liberi arbitrij nos condidit DEUS, nec ad virtutes, nec ad vitia, neceſſitate trahimur, alioqui ubi neceſſitas, neq; corona, neq; damnatio eſt.* Poſtquam enim hanc ſententiam citavit, addit: *Quis non agnoſcat? quis non toto corde ſuſcipiat? quis aliter conditam negat eſſe naturam? ſed in recto faciendo, ideo nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia libertas eſt charitatis.*

S. Optatus Milevitanus Epiſcopus lib. 7: *Voluntas habet pænam, neceſſitas veniam: homicida ſcelus poteſt & facere, poteſt & non facere & cætera hujuſmodi, in quibus liberum habetur arbitrium.*

S. Bernardus Tractatu de gratia & libero arbitrio: *Eſt verò ratio data voluntati, ut inſtruat illam, non ut deſtruat: deſtrueret autem, ſi neceſſitatem ei ullam imponeret, quo minus liberè pro arbitrio ſeſe volveret; ſive in malum, conſentiens appetitui, ſive in bonum, gratiam ſequens - Ergo ſine ullo vinculo neceſſitatis, voluntas poteſt ſe volvere, ut ſequatur gratiam, atq; ut gratiæ diſſentiens conſentiat appetitui; ubi quippè neceſſitas, non jam voluntas* (intellige liberè conſentiens)

Hugo de S. Victore in ſumma Sent: Tomo 3. Tract: 3. cap. 8, *Voluntas ſemper à neceſſitate libera eſt, ubi enim neceſſitas, ibi non eſt libertas, ubi non eſt libertas, nec voluntas.*

Richardus Victorinus, S. Bernardo amiciſſimus, de ſtatu interioris hominis par: 1. Tract. 1. cap. 13: *Libertatis eſt, quòd conſenſus ejus extorqueri non poteſt, poteſt etiam conſentire, vel non conſentire inſpirationi divinæ, & ſimiliter ſuggeſtioni Diabolicæ. Utrumq; autem ex libertate, neutrum ex neceſſitate.*

Non abſimilia loqvuntur alii omnes Patres, quorum ſcripta habemus, ut videre eſt apud P. Ripalda lib. 2. adverſus Baji Propoſitiones, diſp. 14.

Adverſatur item fundamentum illud Janſenij, naturali rationi. Tum, quia ſi homini non conveniret libertas à neceſſitate anteedente, fruſtra homines deliberarent, & Concilia inirent, an hoc vel il-

lud faciendum, vel omittendum sit? Cessaret item prudens electio: *Nec quisquam ullo peccati crimine teneretur, si necessitate fecisset*; ut loquitur S. Augustinus lib. de vera Religione cap. 14. Tum, quia si ad meritum, & demeritum sufficeret libertas à coäctione, sequeretur, quòd cæcus, esset præmiô dignus, non aspiciendo objecta obscæna: & incarceratus vinculis constrictus, esset reus pœnæ, quòd diebus Dominicis non audiat Sacrum, quis autem hoc prudens concedat?

Demùm Jansenii illud fundamentum penitus convellitur à Scriptura sacra. Nam Genesis 14to, DEUS ad Caimum constitutum in statu naturæ lapsæ, quia post peccatum Adæ, dicit: *Nonne si benè egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*, id est; Ut ex communi sensu Patrum, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Gregorij, Bedæ, & aliorum, explicant Lyranus, Abulensis, Cornelius à Lapide: potes ô Cain, per arbitrij libertatem, & gratiam meam tibi præparatam, tuæ concupiscentiæ, & appetitui evidentiæ, tanquam mancipio, dominari.

Ecclesiasticus, invictissimè, & clarissimè significat libertatem indifferentiæ, initiò datam primo homini, nunc etiam in posteris ejus conservari, dicens cap. 15: *DEUS reliquit hominem in manu Consilij sui, si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Simile quid habetur Deuteronomij cap. 30, & Josve cap. 24. Porrò prædicta verba Ecclesiastici, intelligenda etiam esse de hominibus in statu naturæ lapsæ existentibus, (quidquid in contra frustraneè nitatur Jansenius lib. 9. de Gratia Christi cap. 25.) patet ex eo. Tum, quia prædicta verba, Ecclesiæ Patres, ut S. Augustinus lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 2. S. Antoninus 1. par. Titul: 4. cap. 2. S. Bernardus, & alij accommodant ad libertatem comprobandam hominum in statu naturæ lapsæ existentium; idemq; præstant omnes Theologi, qui contra Lutherum & Calvinum scripsêre. Tum, quia sermo Ecclesiastici ad illos dirigitur, qui suam impietatem refundebant in DEUM, ut constat ex præcedentibus verbis: *Ne dicas per DEUM abest-ne dicas, ille me implanavit &c.* Ecclesiastici item 31. *Beatus dives, qui potuit transgredi,*

gredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius. Innuens requiri ad præmium, libertatem à necessitate. 1ma. ad Corinthios 7mo: *Qui statuit in corde suo infirmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* 2da ad Corinthios 9no: *Unusquisque prout destinavit in corde, non ex tristitia, aut ex necessitate.*

Ad meliorem intelligentiam dictorum, & solutionem objectionum in contra.

NOta 1mò. Aliquando à Theologis & Patribus, libertas à coäctione violenta, cum naturali necessitate conjuncta, appellatur libertas. Et ita S. Thomas de potentia q. 10. art. 2. ad 5tum ait: *Liberè Spiritus Sanctus procedit, non tamen possibiliter, sed ex necessitate.* Et ibidem: *DEUS sua voluntate liberè amat seipsum, licet de necessitate amet seipsum.* S. Bonaventura 1. dist. 6. art. 1. q. 1. docet, Filium æternum procedere *necessitate immutabilitatis.* Et subdit ibidem: *Hæc autem necessitas, non repugnat libertati voluntatis, sed solùm vertibilitati, qualis non est in DEO* Scotus quodlib. 6. *Voluntas Divina necessariò vult bonitatem suam, & tamen in volendo est libera.* Dicuntque non pauci Theologi, à Beatis liberè DEUM amari. Sed sic sumpta libertas, nempe prout opponitur soli coäctioni violentæ, & non necessitati antecedenti, sumitur in laxiori acceptione, & minus propria. Unde & S. Thomas 1. par. q. 41. art. 2 sumendo nomen libertatis in sensu magis propriô, Spiritûs Sancti processionem non dicit esse liberam, sed naturalem: ibidemq; ait: *DEUS naturaliter vult, & amat seipsum; sed circa alia à se, voluntas DEI habet se ad utrumq; quodammodo.* Verùm, quidquid sit, an voluntas, libera solùm à coäctione, sit dicenda absolutè libera, an non? parùm refert; cùm sit quæstio de voce. Hoc certum apud Orthodoxos contra Lutherum, Calvinum, Jansenium, & constat ex dictis, libertatem à violenta sola coäctione, non sufficere ad meritum, vel demeritum hominemq; viatorem esse in agendo liberum, etiam à necessitate antecedente. *Nomine Libertatis quid quandoq; intelligitur à Theologis?*

Nota 2dò. Si opponatur. Utiq; Christus Dominus per mortem suam promeritus est plurima, & tamen licèt non coäctus ad mortem fuit, tamen necessitatus est ad eam subeundam: siquidem ipsi à Patre impo- *Christus Dominus quomodo*

Fuit liber ad moriendum?

impositum fuit moriendi præceptum, quod, utpotè impeccabilis nullatenus transgredi potuit. Respondendum est Omnes Orthodoxos convenire in hoc, quòd Christus Dominus non solùm habuerit libertatem à coàctione, sed etiam libertatem indifferentiæ, licèt non levis sit difficultas in solvenda illa objectione. Ad quam multipliciter responderi solet. Mihi probabilior videtur sententia illorum Theologorum, qui docent libertatem Christi in patiendo & moriendo, salvari per hoc, quia potuit Christus petere dispensationem in præcepto moriendi, statimq; illam obtinere: quia ergo liberè non petiit, ut obediret, ideò liberè implevit præceptum: non secùs atque ligatus, catenis, si possit facilè se absolvere, vel expedire à vinculis, & nolit, liberè manet vinculatus. Vel, quod mihi adhuc probabiliùs est, libertatem Christi in patiendo & moriendo, salvari per hoc, quòd ei fuerit quidem impositum præceptum propriè tale patiendi & moriendi, non tamen præceptum rigorosum Theologicè, seu obligans illum sub conscientia, & sub peccato.

Beati in Cælo necessitantur ad amandum DEUM.

Nota 3tiò. Beati clarè in Patria videntes DEUM, ad amorem DEI appretiativè summum, necessitantur physicè ex suppositione antecedente: quia necessitantur per Visionem DEI repræsentativam ejus clarè sub ratione boni puri infinitè amabilis: quæ Visio est suppositio antecedens: cùm nullo modo sit in potestate Beati: unde ille amor potiùs est naturaliter, quàm moraliter bonus.

An & quomodo Dæmones & damnati necessitantur ad peccandum?

Nota 4tò Dæmones & damnati, an & quomodo necessitentur ad peccandum, controvertunt Theologi. Bellarminus lib. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 14. universaliter tàm de Angelis bonis, quàm de Dæmonibus, dicit hæc: *Respondeo, tàm Angelos sanctos, quàm malos Dæmones, respectu finis ultimi non habere liberum arbitrium à necessitate, sed solùm à coactione: tamen respectu mediorum, liberum arbitrium etiam à necessitate habere: quia multa faciunt, quæ possent non facere, & contra: & hujusmodi Dæmones verè peccare, & bonos Angelos opus verè laudabile facere, quamvis nec pæna nec præmium essentiale crescere possit, cum utriq; sint intermino, & omnia ipsorum opera ad exercitium damnationis vel gloriæ sempiternæ pertineant.* Scotus, Durandus, Valentia, & alij, probabiliùs dicunt, damnatos

& Dæ-

& Dæmones peccare formaliter cùm non physicam sed solùm moralem necessitatem habeant ad peccandum: nam physicè ex natura sua possent exercere actus moraliter bonos nullâ circumstantiâ vitiatos (siquidem teste S. Dyonisio lib. de divinis nominibus cap. 4. naturalia dona retinent integra) & sic possent præter alios actus, dolere de peccatis commissis, quatenus sunt causa pœnæ illorum, idq; nulla alia huic actui adjunctâ malâ circumstantiâ. Moraliter tamen non possunt: ita enim obstinati sunt in malo, ut indesinenter exerceant actum quendam malum impatientiæ, & contra DEUM acerbissimi odij, nec possunt ab eo moraliter loquendo, cessare. Quod ipsum provenit ex continua consideratione suæ damnationis ad pœnas horrendas & æternas, ac magnitudinis beatitudinis irrecuperabiliter perditæ, ex consideratione item, quòd nihil habeant, quod à DEO circa salutem suam vel timeant, vel sperent. Et hæc perpetua consideratio cum desperatione summa & afflictione, conjuncta, illam causat perversam voluntatem in omnibus displicendi DEO, quantum possunt: unde etiam semper sibi complacent in suis peccatis etiam remissis: hæc tamen voluntas displicendi DEO, & complacentia illa in peccatis, licèt sit peccatum, non tamen propter hoc puniuntur, cùm jam sint in termino extrinseco meriti & demeriti. Nihilominus cum hac morali impotentia, habent potestatem physicam ad non peccandum, adeoq; absolutè non sunt necessitati ad peccandum. Quidam demùm Theologi apud Suarez lib. 8 de Angelis cap. 10. opinantur, Dæmones & damnatos necessitari physicè ad odium DEI, & alia peccata. Quæ opinio, si vera est, tunc dicendum, Illud odium DEI non posse dici peccatum formale, sed merè materiale, esseq; actum pœnalem potiùs, quàm peccaminosum, ut sunt in nobis repentini inordinati motus concupiscentiæ, & actus mali orti ab ignorantia invincibili.

Nota 5tò. S. Augustinus in Enchiridio cap. 30. dicit: *Victore peccato* (primi hominis) *est amissum liberum arbitrium*, solùm vult contra Pelagianos, perditam esse libertatem á servitute peccati & Diaboli, donec liberet gratia Christi: Item à necessitate effrenis concupiscentiæ motus patiendi & moriendi. Unde lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 2. ait: *Quis nostrûm dicat,* *Textus S. Augustini non favent Jansenio.*

quòd primi hominis peccatô perierit: liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem perijt per peccatum, sed illa, quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam. Ad illam Pelagianorum quæstionem: an possit homo esse sine omni peccato etiam veniali? Respondet S. Augustinus lib. de perfectione justitiæ: ante peccatum Adæ, fuisse in homine libertatem vivendi sine omni peccato: nunc autem esse necessitatem habendi aliquod peccatum. Hæc tamen necessitas, non facit, quominus peccatum, non sit verè peccatum: licèt enim omnia venialia per longum tempus, sine Privilegio speciali vitare non possimus, possumus tamen vitare singula.

Prædeterminatores differunt à Jansenij doctrina.

Nota ultimò cum Patre Ripalda, & alijs, Thomistas Assertores Physicæ prædeterminationis, à Jansenij doctrina, & dicta propositione illius, longè, & multipliciter diffidere. *Imo* enim Jansenius cum suis Asseclis, nullam admittit in statu naturæ lapsæ, Gratiam sufficientem, nec ullam ab efficaci Gratia distinctam. Prædeterminatores verò admittunt Gratiam sufficientem, eique hominem docent posse resistere, & dissentire. *2dò.* Jansenius cum suis tenet, per Gratiam induci necessitatem antecedentem ad operandum, & eam non repugnare libertati, quia libertas juxta illum, soli repugnat coäctioni. Prædeterminatores verò, negant induci per gratiam efficacem, necessitatem antecedentem, sed solam consequentem: asseruntque libertati contrariari non tantum coäctionem, sed etiam antecedentem necessitatem. *3tiò.* Jansenius cum suis dicit, Pelagianum esse, requiri ad libertatem, indifferentiam agendi & non agendi: cum tamen Thomistæ Prædeterminatores, requirant ejusmodi indifferentiam.

CAPUT IV.

Assero 4tò. Admirandè erronea est Propositio Jansenij hæc: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Ante

ANte probationem Assertionis.

Præmitto Imò. Quòd Pelagius natione Anglus (à quo Pelagiani Hæretici, dicti sunt) in Syria Palestinæ, Monachus factus, in Patriam post reversus, suis erroribus sat multos in Oriente, & Anglia infecerit, circa annum 405. Errores ejus præcipui hi. Docuit ille non dari peccatum Originale: nec dari gratiam strictè talem: id est internam supernaturalem, sive habitualem, sive actualem, sed tantummodo dari gratiam creationis, liberi arbitrij, doctrinæ, bibliorum, exhortationum, & exemplorum Christi, ut testatur S. Augustinus lib. de Gratia Christi cap 10: *Quid manifestiùs, nihil aliud eum* (Pelagium) *dicere Gratiam, quâ DEUS in nobis operatur velle, quod bonum est, quàm legem atq; doctrinam?* Item, Natalis Alexander, Ordinis Prædicatorum, ad sæculum 5tum cap. 3. art. 3. §. 8 scribit: *Nullibi certè apud S. Augustinum legimus, Pelagianos admisisse Gratiam interiorem, quæ voluntatem moveret: imò ex allatis hic, & §. 5. locis, eos, ipsam semper resipuisse, perspicuum est.* Post synodum autem Diaspolitanam celebratam in Palæstina, videtur Pelagius concessisse Gratiam DEI propriè talem, esse quidem necessariam, verùm ad simpliciter posse operari salutariter, sed solùm ad posse operari faciliùs. Unde dicit S. Augustinus lib. de Gratia Christi cap. 29: *Tolle faciliùs, & non solùm plenus, verùm etiam sanus est sensus.* Docuit item Pelagius, electionem ac reprobationem parvulorum fieri ex meritis eorum liberi arbitrij conditionatè prævisis. Insuper (ut testatur S. Hieronymus ad Crosiphontem) DEI cooperationem etiam Ordinis naturalis, libero arbitrio non esse necessariam. Hos errores priores Pelagij, acerrimè tuebantur duo ejus præcipui discipuli, nempe Julianus, Capuæ in Italia Episcopus, & Celestinus quidam, professione Monachus, Hibernus, *vir acerrimi ingenij*, teste S. Augustino lib. 2. contra duas Pelagianorum Epistolas, à quo Pelagij sectatores, appellati etiam sunt, Celestiani. Contra utrumq; scripsit Augustinus, nempe contra Julianum libros sex, contra Celestinum, unum. In universum autem contra Pelagium ejusq; sequaces, plures quàm triginta libros.

Pelagij erronea doctrina exponitur.

Pelagij, discipuli præcipui, Julianus & Celestinus.

Præmitto 2dò. Semipelagianos, fuisse Presbyteros Massilienses, (inter quos fuit & Joannes Cassianus collationum scriptor, & Semipelagianorum caput, olim S. Chrysostomi Diaconus, & postea in Gal-

Semipelagianorum

erronea Dogmata proponuntur ex S. Prospero.

Gallia apud Massiliam Presbyter ordinatus) fuisse item aliquos Episcopos per Galliam, præcipuè autem Faustum Reiensem Episcopum, dictos autem Semipelagianos, quia licèt multa dogmata Pelagij damnaverint, (admittebant enim peccatum Originale, Gratiam item internam DEI, esse absolutè necessariam, non solùm ad facillius posse, sed ad simpliciter bonum posse velle, & agere supernaturaliter) tamen aliquot errores Pelagij retinebant: docebant enim, Initium Fidei, Justitiæ, & Salutis, esse ex nobis, nullâ interiore gratiâ præventis. Porrò, hoc eos docuisse, evidenter constat, tum ex ipso Cassiano & Fausto; tum ex testimonio S. Prosperi, Augustini. Cassianus enim collatione 13. cap. 8. de DEO loquens, ait: *Qui, cùm in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atq; confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse.* En, divinam illuminationem atq; auxilium, subsequi, ait, prævium in nobis ortum bonæ voluntatis. Similia scripsit Faustus lib. 1. de libero arbitrio cap. 16. S. item Prosper in Epist. ad S. Augustinum de reliquijs Pelagianæ hæreseos in Gallia subolescentibus (habetur hæc epistola in Tomo 7. Divi Augustini, ante librum de Prædestinatione Sanctorum) explicando errorem Semipelagianorum, testatur, eos docere, quòd ipsum humanum arbitrium incipiat negotium salutis suæ, atq; ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur, perveniat per naturalem facultatem, petendo, quærendo, pulsando, ut ideò accipiat, ideò inveniat, ideò introeat, quia bonô naturæ, benè usum ad istam salutarem gratiam, initialis gratiæ ope, meruerit pervenire. Addebant tamen, quô se à Pelagianis discernerent hoc lenimen, ut confiterentur animæ curationem à peccato, & quæ inde consecuta est, pœnali caligine, & difficultate, profectumq; virtutis, & obedientiam mandatorum, quibus vitam promeremur æternam, à nobis ex peccato originali infirmis esse nullatenus posse, nisi gratiâ divinâ, adjutis. Cùm verò illis objiceretur, innumerabilis multitudo parvulorum, quorum aliqui sine ullo actu proprio libero. & meritorio, gratiam baptismi adepti sunt, statimq; mortui & salvati: alij è contra sine ullo demerito suo, illam adepti non sunt, mortuiq; in infantia, & non salvati. Respondebant Semipelagiani. Ideò hos non salvari, secus illos,

quia

quia prævidit DEUS priores, postquam ad usum liberi arbitrij essent perventuri, elicituros fuisse actus illos purè naturales, desiderij, petitionis, cum vita honestè acta: posteriores verò, ne in matura quidem ætate, tale quidquam acturos: proinde baptismi gratiam & salutem conferri infantibus in præmium meritorum naturalium sub conditione, scilicèt, si supervixissent, futurorum: alijs verò infantibus negari gratiam, & salutem, in pænam demeritorum, sub simili conditione futurorum. Hæc ex epistola citata S. Prosperi desumpta sunt.

Præmitto 3tiò. S. Augustinum testari, in erroribus dictis Semipelagianos fuisse. Nam libro de prædestinatione Sanctorum (quem elucubravit S. hic Doctor ad Semipelagianos in viam reducendos) testatur, in hoc eorum errorem situm, quòd ut scribit cap. 2. *Vellent ex nobis quidem nos habere ipsam Fidem, sed incrementum ejus, ex DEO: tanquam Fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantùm augeatur in nobis, eô meritô, quo cæpit à nobis.* Hocq; ipsum multoties in tribus primis capitibus illius libri repetit. Quin & cap. 3. humiliter confitetur, se etiam aliquando in eodem errore fuisse: adducto enim textu S. Apostoli 1. ad Corinth. 4. *Quid autem habes, quod non accepisti* &c. subnectit hæc: *Quô præcipuè testimoniô etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans Fidem, quâ in DEUM credimus, non esse donum DEI, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare DEI dona, quibus temperanter, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo. Neq; enim Fidem, putabam DEI gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur, quòd posceremus utiliter.* Librum verò illum totum conclusit cap. 21. verbis his: *Sed dent veniam, nova enim quæstio ad hoc nos compulit, quia, cùm in prioribus opusculis nostris, satis idoneis testimonijs egissemus, donum DEI esse etiam Fidem: inventum est, quòd contradiceretur: ad hoc valere illa testimonia, ut ostendant, DEI donum esse incrementum Fidei: Initium verò Fidei, quô in Christum primitùs creditur ab homine ipso esse, nec esse donum DEI: sed hoc exigere DEUM, ut cum id præcesserit, cætera, tanquam hoc merito consequantur, quæ DEI dona sunt, nec ullum eorum dari gratis, cum in eis DEI gratia, quæ nonnisi gratuita est, prædicetur. Quod videtis, quàm sit absurdum. Propter quod institimus, quantùm potuimus, ut etiam ipsum initium Fi-*

Nec non & ex S. Augustino.

dei, donum DEI esse ostenderemus. Ad illa item Verba Christi Joan: 18. *sine me* (id est sine gratia per merita vobis obtenta) *nihil potestis facere*, salutariter, lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum dicit: *Dominus autem, ut responderet futuro Pelagio, non ait: sine me difficile potestis facere: sed ait: sine me nihil potestis facere. Et ut responderet futuris etiam istis* (Semipelagianos intelligit) *in eadem sententia Evangelica, non ait: sine me nihil potestis perficere: sed facere: Nam si perficere dixisset, possent isti dicere: non ad incipiendum bonum, quod à nobis est, sed ad perficiendum, esse DEI adjutorium necessarium - Dominus cum ait: sine me nihil potestis facere: hoc uno verbo, initium, finemq; comprehendit.* Alterum verò erroneum dogma Pelagianorum & Semipelagianorum, idem S. Doctor epist: 105. describit sic: *DEUS* (inquiunt illi) *in eis, quos hinc aufert, prævidet, quemadmodum victurus esset quisq;, si viveret: & ideò, quem nequiter novit fuisse victurum, sine baptismo facit & mori: sic in eo puniens opera mala, quæ non fecit, sed quæ facturus fuit.* Et 2dam partem hujus propositionis inter alia duplici argumento ita refellit: *Quid præstatur ei, qui rapitur, ne malitia mutet intellectum ejus, & ne fictio decipiat animam ejus, si justè etiam illa puniuntur, quæ licet non fecerit, fuerat tamen vivendo acturus? Postremò, cur non ad percipiendum regenerationis lavacrum, ei magis consulitur morituro, qui malè fuerat victurus, si viveret, ut ei peccata, quæ fuerat commissurus in baptismo remittantur. Quis enim tam vecors, qui ea neget per baptismum posse dimitti, quæ sine baptismo, dicit posse puniri?* Erroremq; hunc lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7. vocat absurdissimum, insulsissimum, dementissimum; His præmissis,

Falsitas 4tæ propositionis Jansenianæ demonstratur.

Probatur Assertio. Quia ex una parte, dictam Propositionem Jansenij, Pontifices Romani, quoad primam ejus partem, ut falsam: quoad 2dam partem definiverunt esse Hæreticam, & uti talem damnârunt. Ex altera verò parte, evidens est, ex præmisso 2do, Semipelagianos non admisisse prævenientis internæ gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei. Clarum item est ex Scriptura sacra Concilijs, Patribus, & ratione, ut demonstratum suprà capite 2dò, interiori gratiæ voluntatem humanam posse resistere, vel obtemperare: Ergò dicta Propositio Jansenij est admirandè erronea.

Et

Et certè, ſi abſolutè ex ſuppoſitione antecedente non poteſt voluntas reſiſtere gratiæ, ſed per illam neceſſitatur ad conſenſum. Ergò homo non relinquitur in manu Conſilij ſui, aſt potiùs in manu neceſſitantis illius gratiæ. Nec erit verum dicere: ad quod volueris, porrige manum: aſt potiùs, ad quod neceſſitatus metaphyſicè fueris per gratiam, extende manum tuam. Quomodo item poteſt habere locum Electio, aut Conſilium, ſi voluntas per gratiam neceſſitantem infallibiliter antecedenter determinatur, & applicatur nonniſi ad unum? Quomodo conſiſtet acceptata ab omnibus Catholicis, & fundata in ſenſu Sanctorum Patrum, definitio liberi arbitrij hæc: Eſt potentia, quæ impedimentis ſublatis, & poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere vel non agere? Inſuper Gratiæ poſſe reſiſti vel obtemperari.

Confirmatur Imò. Quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 4. definit ſic: *Si quis dixerit, liberum arbitrium à DEO motum & excitatum, non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit.* Et cap. 5. dicit: *Hominem poſſe abjicere divinam inſpirationem, DEO per illam, cor hominis tangente.* Nec abſimilia dicit Conſilium Arauſicanum, & Senonenſe. Porrò, verba Conſilij, *abjicere, diſſentire*, ſatis clarè indicant, quòd poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum abſolutè antecedentibus (inter quæ requiſita utiq; etiam eſt ſpecialiter gratia?) tam poſſit componi non actio, quàm actio; tam diſſenſus, quàm conſenſus: Abjicere enim, eſt rem habitam dimittere, aut ſibi oblatam reſpuere: Diſſentire verò excitationi, eſt defacto ei exiſtenti non conſentire, ſeu cum illa exiſtente, negationem conſensûs, ſeu diſſenſum conjungere. Quis enim abjicit Gratiam, vel aureum nummum, quem non habet? Quis diſſentit inſpirationi, quam non ſentit? vel diſſentit propoſitioni, quæ nunquam ei propoſita fuit. Sicut ergò certum eſt, non moveri liberum arbitrium à Gratia, quam non habet: non excitari ab auxilio, à quo eſt diviſum: non tangi ab illuſtratione, quâ caret; non diſſentire vocationi, quam nec ſentit, non abjicere inſpirationem, quam non habet: tam certum eſt, Concilium Tridentiuum verbis ſuprà citatis, locutum fuiſſe de ſenſu compoſito.

Accedit. Certum eſſe, quòd Concilium illa ſua definitione, erroneum Calvini dogma, in quo ſe ab antiqua Eccleſiæ doctrina receſ-

cessisse fatetur, damnaverit, nempe illud lib. 2. Institutionum cap. 3. §. 10. *Voluntatem movet DEUS, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis, aut obtemperare, aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo.* Ex quibus verbis clarum est, à Calvino negatam esse libero arbitrio potestatem abjiciendi Gratiam in sensu composito: Hoc est, postquam jam illam habet. Ergò Concilium, ut damnaret hoc dogma Calvini, oportebat, ut in sensu composito loqueretur, & definiret Gratiam efficacem, quâ DEUS nos afficit, talem esse, ut etiam postquam jam in voluntate est, (in quo involvitur ipsissimus sensus compositus) nostræ electionis sit, tali gratiæ consentire vel dissentire: aliàs enim contra præfatum dogma, definitio Concilij robur non haberet: ut inter alios, benè arguit Ferdinandus Bastida.

Confirmatur 2dò Assertio, Auctoritate Patrum, & rationibus ijs, quibus probatum est suprà, ad merendum, & demerendum requiri libertatem à necessitate: Nonne etiam S. Augustinus Doctor Gratiæ, lib. de Spiritu & Litera cap. 34. scripsit? *In omnibus misericordia ejus prævenit nos. Consentire autem vocationi DEI, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Et lib. de bono perseverantiæ c. 5. *Credere, vel non credere, positum est in arbitrio voluntatis humanæ.*

Ad meliorem intelligentiam dictorum, & solutionem objectionum in contra.

Ratio Pelagianorum docentiũ, Gratiam supernaturalẽ non esse necessariam ad salutem,

NOta Imò. Quòd Pelagiani cum suo Pelagio, ex eo non admittebant Gratiam supernaturalem esse necessariam ad salutariter operandum, quia putabant Gratiam, naturæ indebitam, seu supernaturalem, & tamen ad salutariter operandum necessariam, non posse componi cum libertate. Unde S. Augustinus lib. de gestis Pelagij, cap. ultimo dicit: *Pelagium sentire, quòd non sit liberum arbitrium, si indigeat auxiliô DEI, quoniam voluntatem habet unusquisque, aut facere aliquid, aut non facere.* Similia repetit in epist. 106. ad Paulinum. Et apud S. Hieronymum lib. 2. adversùs Pelagianos interrogat Pelagius: *Quomodo servas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihi posse, nisi DEUS semper adjuverit?* Sicut enim, cogitabant Pelagiani, homo non est

est liber ad patranda miracula, quia ad illa est necessaria specialis Gratia DEI, & hæc homini est indebita: Ita pariter, homo non esset liber ad salutariter operandum, si ad id requiritur Gratia supernaturalis, seu indebita naturæ. Unde illi non errabant in hoc, quòd non admiserint gratiam necessitantem, sed in hoc, quòd non admiserint gratiam esse necessariam: longè autem sunt diversa ista duo: Gratia necessitans ad actus salutares, & gratia necessaria ad actus salutares, licèt indebita naturæ: Gratia enim purè sufficiens, est gratia necessaria ad actus salutares: & tamen non est gratia necessitans, ut certum ex fide: possuntq; esse quædam necessaria ad operationem aliquam, & tamen non esse necessitantia ad eam: nam utiq; necessarij sunt pedes ad ambulandum: manus & calamus ad scribendum, nec tamen pedes necessitant ad ambulandum, nec manus & calamus ad scribendum? Cur autem Pelagiani non admiserint gratiam esse necessariam: dedi suprà illorum fundamentum, quod tamen facilè subvertitur, siquidem, licèt gratia salutariter ad operandum necessaria, sit homini naturaliter indebita: quia tamen semper præstò adest homini: ut constat ex superiùs dictis, estq; talis naturæ, ut illi consentire vel dissentire possit, ideò adhuc liberè operatur homo. Aliud est de patratione miraculorum: quia gratia DEI ad hoc requisita, non semper adest homini quomodocunq; volenti patrare miracula. Porrò, quòd aliquibus detur à DEO gratia efficax, aliquibus purè sufficiens, non sit contra ullum jus hominis exigitivum talis vel talis gratiæ: sed purè facit DEUS cum uno misericordiam & beneficium speciale, dando illi gratiam efficacem: cum altero verò, cui dat gratiam purè sufficientem, facit quidem misericordiam: ast non æquè magnam & specialem: cum ex nullo fundamento DEUS sit obligatus ad danda omnibus æqualia dona supernaturalia. *convellitur.*

Nota 2dò Dum Hilarius Episcopus (ut fertur) Arelatensis, in sua epistola ad S. Augustinum data, refert, dixisse Semipelagianos Massilienses: *Quidquid donatum sit prædestinatis, id posse & amittere, & retinere propria voluntate.* Tunc intelligendum est, eos erroneè docuisse, unumquemque propria voluntate, suis viribus merè naturalibus relictâ, posse assentiri Gratiæ sananti, volendo ex viribus purè naturalibus sanari: aut dissentire eidem, nolendo sanari. *Error Semipelagianorum circa assensum voluntatis*

vocationi divinæ.

Quod ipsum constat ex S. Hilario, dicente in epistola citata doceri à Massiliensibus: *Nullam ita depravatam vel extinctam esse voluntatem, ut non debeat, vel possit se velle sanari* (intellige sine Gratia) *propter quod quis, vel sanetur à sua, vel si noluit, cum sua ægritudine puniatur.* Quæ doctrina est contra Fidem Orthodoxam, hæc enim docet: nec ipsum vel sanari: (prout oportet ad salutem) posse haberi sine Gratia DEI: nec voluntatem hominis solis naturæ viribus relictam, posse assentiri Gratiæ sananti, volendo naturæ viribus sanari: licèt verùm sit, quòd solis naturæ viribus possit eidem dissentire, nolendo sanari. Utiq; enim teste S. Augustino, ad malum sufficit liberum arbitrium?

Ratio, ob quam Semipelagiani nõ admittebant necessariam esse Grãtiam ad initiũ Fidei, dissolvitur.

Nota 3tiò. A Semipelagianis ex eo non admissam necessariam esse Gratiam ad singulos actus, etiam ad Initium Fidei, Justitiæ, & Salutis, & ad velle sanari: quia inquiebant: scriptura sacra testatur, DEUM expectare opera nostra, & præveniri meritis purè naturalibus, ut nobis conferat Gratiam. Dicitur enim Proverb: 16. *Hominis est, animam* (seu cor, ut alij legunt) *præparare.* Psalmo 87. David alloquens DEUM, dicit: *Manè oratio mea præveniet te.* Psalmo 22. *Misericordia tua subsequetur me.* Matthæi item 25. inducitur Christus in persona hominis peregrè proficiscentis distribuens talenta Gratiæ suæ inæqualiter unicuiq;, secundùm propriam virtutem. Per virtutem autem propriam uniuscujusque, intelliguntur opera virtutum moralium purè naturalia. Verùm & hoc fundamentum subvertitur. Respondetur enim primò per retorsionem. Utiq; in eodem libro proverbiorum cap. 8. legitur: *Præparatur voluntas à Domino. Quid autem est præparare cor?* (inquit S. Augustinus) *nisi voluntatem præparare.* Et Psalmo 58. *Misericordia ejus præveniet me.* Psalmo 20. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Directè, respondeo 2dò. Utrumq; esse verum, & verificatur sic: DEUS præparat cor, in quantum gratiâ suâ omnem actum nostrum liberum præveniente excitat cor, ad bonum velle: homo verò præparat cor, in quantum gratiæ excitanti liberè consentit, liberè volendo bonum. Similiter combinandi alij textus sibi ad speciem oppositi. Parabolam allegatam, rectè S. Thomas 2. 2. q. 24 ar. 3. ita explicat. *Dicendum, quòd illa virtus, secundùm quam sua dona DEUS dat, unicuiq;, est dispositio vel præparatio præcedens, sive conatus, gratiam accipientis: sed hanc*

etiam

etiam dispositionem vel conatum prævenit spiritus, movens mentem hominis, vel plus, vel minùs, secundùm suam voluntatem. Unde & Apostolus dicit ad Coloss. 1. Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.

Nota 4tò. Quòd Jansenius lib 6. de gratia Salvatoris, cap. 35. & Janseniani, verba illa Concilij Tridentini: Liberum arbitrium posse dissentire gratiæ: seu posse abjicere gratiam, si velit: explicant sic; nempe eo sensu rejici posse gratiam, quatenus eam abjiceremus, si vellemus; non posse verò rejici, quoniam velle hoc non possumus. Sed explicatio hæc graviter erronea est. Si enim, velle hoc, ex suppositione antecedente non possumus, ergo non peccatur unquam in orbe. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* ut inquit S. Augustinus libro 3tio de lib: arbit: cap: 19. *Jansenius non rectè explicat Concilium Tridentinum.*

Accedit. Quòd Concilium Tridentinum supponat liberum arbitrium Divinæ gratiæ posse velle dissentire: aliàs nihil contra novatores definivisset: quia Lutherus & Calvinus concederent, voluntatem à DEO motam per gratiam, posse divinæ motioni dissentire, si velit: negabunt verò illam posse, hoc velle.

CAPUT V.

ASsero 5tò. Admirandè erronea est Jansenij Propositio hæc: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sangvinem fudisse.

ANte probationem Assertionis.

Præmitto Imò. Gotteschalcus Presbyter Monachus fuit Monasterii, Orbei, Diæcesios Svessionensis, in Synodo Moguntina (cui interfuerunt plurimi Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, vitâ, & doctrinâ famosissimi) anno 848. sub Rabano Archiepiscopo, ut hæreticus Prædestinatianus, condemnatus est; Hic Gotteschalcus (ut de eo scribit Hincmarus, Kemensis Episcopus ad Nicolaum Papam) dicebat id, quod antiqui Prædestinatiani: dicebat enim: quòd DEUS non vult omnes homines salvos fieri, sed duntaxat eos, qui salvantur. Quòd JESUS Christus Dominus noster, & Salvator, non fuit crucifixus, *Gotteschalci & Calvini doctrina, item Jansenij de morte Christi.*

fixus, neq; mortuus est pro redemptione totius Mundi, id est, pro redemptione, & salute omnium hominum: sed tantùm pro ijs, qui salvantur: dicebat manifestum esse, nullum eorum perire, qui sangvine Christi crucis, redemptus est. Eundem errorem à Prædestinatianis & Gotteschalco hausit Calvinus, Beza, Chamierus, & alij hæretici. Calvinus enim in caput 17mum Joannis ait: *Christus, proprij gregis tantummodo fuit solicitus, & pro electis suis, duntaxat, oravit.* Beza, primarius Calvinismi disseminator, in thesibus de Sacrificio, apud Malderum in Antisynodicis cap. 17mo: *Coram DEO, & tota Ecclesia testamur, figmentum illud inauditum, & dilutum, Christum videlicet non minùs pro omnibus, quàm pro fidelibus esse mortuum. Sive Consilium DEI, sive passionis effectum, sive utrumq; spectemus, pro impijs nullo modo est mortuus.* Chamierus tomo 3. lib. 9, cap. 13: *Non pro quibusvis mortuus Christus.* Hieronymus Zanchus in Misc: doctrina, 1. Joannis 2. inquit: *Sangvis Christi non est secundùm propositum DEI, & re ipsa pro reprobis, & incredulis effusus, sed tantùm pro quibusdam multis: hoc est, electis, & quidem pro omnibus istis multis.*

Præmitto 2dò. Quòd Jansenius licèt Christum pro aliquibus reprobis mortuum esse concedat, in hoc sensu, quia nempe ijs temporaria justificatio, & alia dona ordinis supernaturalis transeuntia conferuntur ex meritis Christi (& in hoc disconvenit Jansenius à Calvino, Beza, qui etiam hoc non admittunt: sed ad summum concedunt reprobis ob merita Christi concessa fuisse solùm bona aliqua naturalia, temporalia, nulla verò supernaturalia) negat tamen, Christum esse passum & mortuum pro æterna salute reproborum, verùm solùm pro æterna salute electorum, seu suorum prædestinatorum.

Quænam doctrina Catholica de morte Christi.

Præmitto 3tiò. Ab Ecclesia Catholica doceri, esseque omninò certum (ut constabit ex dictis) quòd Christus passionem suam, & mortem pro omnibus omninò hominibus, ita Patri æterno obtulerit, ut omnibus prodesse voluerit, non solùm ad temporariam justificationem, & aliqua dona supernaturalia alia, ut ad resurrectionem corporum, & similia; sed etiam ad salutem æternam: voluerit, inquam, voluntate seria ac sincera ex parte sua, dependente tamen à generalis providentiæ divinæ legibus, & supponente relictam hominibus libertatem, adeoq; non efficaci & absoluta, verùm inefficaci & conditio-

ditionata, qualiter etiam à Patre fuit acceptata: semper enim Pater audit Filium, juxta illud Joannis uno: *Ego sciebam, quia semper me audis.* Ut autem hæc voluntas fiat efficax, & absoluta: id est, ut efficaciter sortiatur effectum, nempe salutem à Christo volitam, debet accedere conditio à DEO requisita, ex parte hominis, scilicet, ut homo medijs ad salutem à DEO præscriptis utatur. His præmissis.

Probatur Assertio. Quidni enim non admirandè erronea censenda est illa Propositio Jansenij, quàm Innocentius X, Alexander VII, Clemens XI, definiverunt esse *falsam, temerariam, scandalosam: & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute, duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam esse* declarârunt, &, ut talem damnârunt. Quæ item Propositio non solùm desumpta est ex lacunis Gotteschalci, Calvini, Bezæ & aliorum hæreticorum: non solùm item liberalissimæ & maximæ Christi Domini charitati adversatur, sed evidenter etiam repugnat scripturæ sacræ. Nonne enim contra hanc impiam propositionem detonat Filius tonitrui S. Joannes in sua una epistola cap. 2. inquiens: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (id est fidelium) *non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi?* Id est pro peccatis omnium hominum, qui sunt in mundo. Nonne illam propisitionem irrefragabiliter subvertit S. Paulus 1. ad Timoth: 2. dicens: *Obsecro, fieri obsecrationes, orationes, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro DEO, qui omnes homines vult salvos fieri. Unus enim DEUS, unus & Mediator DEI, & hominum homo Christus JESUS, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Numquid tempore S. Pauli, Reges & in sublimitate constituti, pro quibus obsecrat esse orandum, dicitq; Christum se dedisse Redemptionem etiam pro ijs, numquid, inquam, fuerunt è numero electorum? Nonne erant reprobi? 1. ad Timoth: 4. *Qui est Salvator omnium hominum*, maximè fidelium. Ad quid addidit Apostolus: *maximè fidelium*, nisi ut declararet, Christum etiam esse Salvatorem infidelium, quantùm est ex parte sua (ut hinc etiam arguit S. Prosper) licèt Fideles magis participent fructum redemptionis per voluntariam susceptionem Fidei, Gratiarum, & Sacramentorum. Nonne

Ista Propositionis Jansenianæ falsitas ostenditur ex scriptura.

idem S. Paulus ad Rom: 14. scripsit? *Noli cibô tuô illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et, 1. ad Corinth: 8. *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Ergò apertissimè supponit posse fieri reprobos, & perire illos, pro quibus Christus mortuus est. Item, 2. ad Corinth: 3. dicit: *Unus pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus Christus mortuus.* Sed omnes verè mortui sunt per Adami peccatum, Ergò etiam verè pro omnibus Christus mortuus est. Quod ipsum hinc clarè deducit S. Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 1. & 4. alibique. Et ad Hebræos 2. *JESUS pro omnibus gustavit mortem.*

Porrò, mori pro aliquo: evidenter ex modo humano usitato loquendi, indicat intentionem morientis esse, ut sua mors illi prosit. Quod ipsum non diffitetur Jansenius tomo 3. lib. 3. cap. 21. inquiens: *Pro aliquo mortuum esse, vel fudisse sangvinem suum, insinuat voluntatem Christi, quam habet, ut ei mors, suo Patri oblata, & sangvis prosit.*

Ex Concilijs. Repugnat item Concilijs dicta Propositio Jansenij. Concilium enim Carisiacum damnans errorem Gotteschalci cap 3. ait: *DEUS omnipotens, omnes homines sine exceptione, vult salvos fieri, licèt non omnes salventur,* & cap. 4. *Nullus est, fuit vel erit homo, pro quo Christus passus non fuerit.* Arelatense 3tium (cui interfuerunt S. Pragmaticus Episcopus Augustodunensis. S. Patiens Episcopus Lugdunensis: S. Claudius Bisuntinus Præsul, & plurimi alij) adegit Lucidum Presbyterum Prædestinatianorum ad hanc confessionem: *Damno sensum illum, qui dicit, quòd Christus & Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit.* Concilium Valentinum 3tium, cap. 5. *Firmissimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium defunctorum ex aqua & Spiritu Sancto regenerata in Christi sangvine sit à peccatu suis abluta; quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret vera Redemptio- ex ipsa tamen multitudine fidelium redemptorum, alios salvari æterna salute, alios, quia redemptionis gratiam potiùs irritam facere, quàm servare, elegerunt, ad plenitudinem salutis & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire.* Demùm Concilium Tridentinum Sess. 6 cap. 3. dicit: *Etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ij duntaxat, quibus meritum ipsius communicatur.* Quibus verbis Tridentinum contra

tra Calvinum, & alios hæreticos sat clarè docet: Christum, mortem suam obtulisse etiam pro omnibus non electis, seu ijs, qui passionis fructum à Christo, ipsis sub conditione intentum, non recipiunt. Sic enim in forma arguitur: Omnes, qui salvantur, mortis Christi beneficium recipiunt: ut est certum apud omnes Orthodoxos. Sed aliqui pro quibus mortuus est Christus, hoc beneficium non recipiunt: ut Tridentinum definivit, ergò aliqui, pro quibus est mortuus Christus, non salvantur.

Accedit. Quòd Ecclesia omnibus tàm electis, quàm non electis proponat credendum articulum Symboli Nicæni, in Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, Concilijs approbati, illum: *Qui propter nostram salutem descendit de cælis - crucifixus etiam pro nobis.* Vel ut habetur in symbolo S. Athanasij: *Qui passus est pro salute nostra &c.* Item Ecclesia quot annis die Parasceves, DEUM ita precatur: *Omnipotens sempiterne DEUS, qui salvas omnes, & neminem vis perire: respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem.*

Repugnat item illa Propositio Jansenij evidenter Sanctis Patribus. S. Ambrosius serm. 8. in Psal. 118. ait: *Sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat.* Tomo 4. item lib. de Paradiso cap. 8. *Venerat Dominus JESUS omnes salvos facere peccatores, etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem: & ideò nec proditorem debuit præterire.* Et lib. 1. de Jacob & vita beata, illud ad Rom: 8. *Pro omnibus nobis tradidit illum:* sic expendit: *Mirè addidit, pro omnibus, ut ostenderet, quòd ita omnes diligat, ut dilectissimùm Filium pro singulis traderet.* *Ex SS. Patribus.*

S. Hieronymus Epist: 83. ad Oceanum. *Mentitur Joannes Baptista, & digito Christum & voce demonstrans: Ecce Agnus DEI: ecce qui tollit peccata mundi; si sunt adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit.*

S. Ephrem, serm. de Passione Salvatoris: *An nescis ô miser, & impudens, quod de his omnibus negligentijs atq; despicientijs, rationem abs te exiget, qui pro te crucifixus est Dominus? Nunc quidem hæc dum*

audis, negligis, in delicijs rides, & omni cura vacuus ac liber vivis: sed veniet profectò dies illa terribilis, dies ultionis, ut sine fine lugeas, exclamesq; præ doloribus tuis in igne perenni.

S. Augustinus lib. 20. de Civitate cap. 6. *Omnes mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive in originalibus, sive etiam in voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo, quod justum est: & pro omnibus mortuis* (nempe nullo excepto ut priùs) *vivus mortuus est unus.*

S. Prosper, Episcopus Regiensis (quô nemo meliùs Augustini mentem intellexit) lib. 2. de Vocatione Gentium cap. 16to: *Nulla ratio dubitandi est, JESUM Christum Dominum nostrum, pro impijs, & peccatoribus mortuum prorsus pro omnibus mortuus est Christus.*

Hugo Victorinus q. 15. in caput 15. epist. 2 ad Corinth: *Secundùm Augustinum mortuus est pro omnibus Christus, quia hoc mors ejus promeruit, ut per ipsum omnes salvarentur, nisi ipsis permaneret.*

S. Xaverius, Indiarum Apostolus invictè confirmat nostram Assertionem sua illa oratione: *Memento rerum omnium Conditor, animas infidelium, hæreticorum, & peccatorum. Ecce Domine in opprobrium tuum, his ipsis, quos pretioso sangvine redemisti, quotidiè implentur inferni.* Et certè, ut sapienter Malderus, olim Lovanij Theologiæ Doctor, post Episcopus Antverpiensis, in suis Antisynodicis cap. 4. Vehementer est formidandum, ne, qui negant Christum pro omnibus mortuum esse, eò tandem dementiæ deveniant, ut cum Mahometanis sentiant, Christum pro nemine mortuum esse. Nec desunt, qui testentur plures Calvini asseclas, qui in primum illum errorem inciderunt, posteà in secundum se præcipitâsse.

Ex Ratione.

Accedit. Quia (ut benè arguit Cardinalis Sfondrati in nodo prædestinationis dissoluto, parte 1.) Admissâ, ut vera propositione dicta Jansenij, cadunt totius vitæ Christianæ præcipua fundamenta, spes videlicet, & amor: præcipuè enim amandi, sperandiq; ratio est, quia *prior dilexit*, quia *Filium suum unigenitum tradidit*; at non constat, quòd me quoq; dilexerit, & quòd pro me Filium quoq; tradiderit: quomodo ergo, ut redemptorem amabo, quem ignoro, an redemptor meus sit? quomodo in merita mortemq; illius sperabo, quem nescio, an mihi quoq; meritus sit? Planè ut nemo tenetur Navarchum, eli-

eligere, ejusq; Fidei vitam ſuam committere, quem neſcit, an navigandi peritus ſit: & de quo meritò dubitat, velit in portum ducere, an potiùs in ſcopulum deſertamq; Inſulam exponere; ita nemo tenetur in redemptorem ſperare, ſi neſciat, ſuum quoque redemptorem eſſe, ac ſeriam & efficacem voluntatem ſe quoq; ſalvandi habere: aſt ſcire non poteſt, ſi non omnes voluit, ſi non omnes redemit.

Ad meliorem intelligentiam dictorum, & ſolutionem in contra objectionum.

NOta Imò. Univerſaliter ſolenne eſſe hæreticis abuti Scripturâ ſacrâ ad ſua erronea dogmata ſtabilienda. Unde Tertullianus lib. I. de Reſurrectione carnis cap. 40. ait: *Nihil mirum eſt, ſi ex Chriſti inſtituto captentur argumenta: quoniam oportet hæreſes eſſe, quæ eſſe non poſſent, ſi non & perperam Scripturæ intelligerentur.* Et idem Tertullianus lib. de præſcriptione cap. 15. de hæreticis ſcribit: *Scripturas obtendunt, & hâc ſuâ audaciâ ſtatim quoſdam movent: in ipſo verò congreſſu, firmos quidem fatigant: infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt.* Hæreticorum veſtigijs inſiſtens Janſenius, perperam pro ſuis erroneis ſententijs adducit ſcripturæ ſacræ varios textus, obtendit & S. Auguſtini ſcripta, perperam, inquam, ut ſat patenter deducitur.

More hæreticorū, falſo adducit Janſenius ſcripturam pro ſuis ſtabiliendis propoſitionibus

Dum quandoq; ſcriptura reſtringit redemptionem ad electos: ut ima Joannis 15. *Animam meam pono pro ovibus meis.* Apocalypſis 15. *Redemiſti nos DEUS in ſangvine tuo, ex omni tribu & lingva,* per hoc non excludit reprobos, ut conſtat ex dictis. Nec item affirmatio unius, eſt negatio alterius. Secundò reſpondeo: illis textibus ſignificatur, fructum mortis Chriſti non ad omnes pervenire, ſed ad multos, quia non omnes percipere voluerunt.

Dùm dicitur Matth: 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domûs Iſraël:* intelligendum eſt, quòd Chriſtus Dominus non fuerit miſſus ad annuntiandum immediatè omnibus Regnum DEI, verbis & miraculis: licèt miſſus ſit ad omnes redimendos, & ſalvandos, quantùm ex parte ſua. Nec obeſt aſſertioni noſtræ, quòd dicat ſcriptura, Chriſtum mortuum eſſe & ſangvinem fudiſſe pro multis, ut Matthæi 20. *Filius hominis venit dare animam ſuam Re-*

demptionem pro multis. Et cap. 26. *Hic est sangvis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.* Non obest inquam. Nam etiam sæpius ab eadem scriptura dicitur: Christum pro omnibus mortuum esse; nec vox hæc: *Multi*, excludit omnes, quando omnes sunt multi. Imò Latini, omnes homines, multitudinem vocant. Sæpè item in scriptura, vox hæc. *Multi*, sumitur pro omnibus; ut Danielis 12. *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt*: id est omnes resurgent in Judicio extremo. Et Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa.* Utiq; Magdalenæ remissa omnia peccata? Item ad Roman: 5. *Unius delictô multi mortui sunt:* id est omnes: ut etiam annotavit S. Augustinus lib. 20. de Civitate DEI, cap 32. & pleriq; alij Doctores ac Interpretes sacræ scripturæ.

Nota 2dò. Oravit quidem Christus, quandoq; pro solis Apostolis, vel pro credituris per eorum prædicationem: aliquando tamen oravit pro omnibus etiam & pro reprobis, licèt pro his solum inefficaciter. Utiq; pendens in Cruce oravit. *Pater dimitte illis.* Quibus verbis sat clarè indicat, se etiam pro suis crucifixoribus mortem obire: ex quibus haud dubiè, multi fuerunt reprobi.

Calvinus & Jansenius erroneè textũ S. Pauli explicant.

Nota 3tiò. Calvinus lib. de æterna prædestinatione, cap. 76. dicit verbis S. Apostoli Pauli de voluntate omnes salvandi, notari non singulos generum, sed genera singulorum, seu ut lib. de occulta DEI Providentia pag. 757. ait: *Paulum illic non de singulis hominibus agere, sed intelligere ordines, & genera hominum*: id est, Paulum, solùm velle, aliquos salvari ex gentibus, ex Judæis aliquos: item ex ordine Regum, Principum, Nobilium, ignobilium &c. quàm etiam explicationem verborum illius scripturæ adhibet Jansenius. Sed contra est. Tum, quia verba scripturæ sunt accipienda in sensu proprio & absoluto irrestricto, si nulla evidens sit necessitas ea restringendi, & impropriè accipiendi: ut docent cum S Augustino omnes Theologi: & patet: aliàs enim nihil convictivè probari posset ex scriptura. Nulla autem est necessitas restringendi hìc verba scripturæ sacræ. Tum, quia apertè docet S. Paulus ad Roman: 14. & 1. ad Corinth 8 posse perire illos, pro quibus Christus mortuus est, ut ostensum suprà. Tum, quia pari audacia dici posset, citatis scripturæ locis, Christum non pro singulis electis, sed solùm pro ali-

quibus

quibus ordinibus & generibus electorum, eſſè mortuum. Quod tamen ipſe Calvinus & Janſenius negat. Tum, quia (ut benè arguit Cardinalis Sfondrati cum alijs) ſi quis Princeps moriturus, ultimis tabulis diſponat, ut ex regio, immenſoq; theſauro, quem hæredi relinquit, omnes totius Regni captivi redimantur, qui triremibus, & ſervitutibus addicti ſunt; hæres verò non de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum; hoc eſt, non de omnibus, ſed de paucis tantùm, id intelligi vellet; quis non infidelem prævaricatorem, hoſtemq; paternæ voluntatis diceret? at quantò id dicendum de Calvino, Beza, Janſenio, qui contra clariſſimam ſcripturæ ſententiam toties inculcatam à S. Paulo & alijs, Chriſti Redemptionem ejuſq; voluntatem ſalvandi omnes, anguſtiſſimam faciunt, ejusque infinitum in homines amorem, breviſſimis terminis coërcent, ſicq; rivum ex pelago faciunt.

Adverte, quod, licèt S. Auguſtinus ſerm: 22. de diverſis cap. 5. & lib. de correptione & gratia cap. 13. videatur favere explicationi ſuperiùs citatæ, datæ à Calvino, & Janſenio, ſuper verba Apoſtoli illa: *Vult omnes homines ſalvos fieri*: tamen alibi, communi & noſtræ expoſitioni ſuffragatur, docenti, quòd DEUS ex ſuppoſitione antecedenti, omnibus hominibus, etiam præſcitis, verè ſincereq; velit ſalutem, quantùm in ſe eſt, & ſub conditione, quòd ipſi velint: hancque ipſam expoſitionem tradit pluribus in locis, præſertim lib. de ſpiritu & litera cap. 33. dicens: *Vult DEUS omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quô vel benè vel malè utentes, juſtiſſimè judicentur*. En S. Doctor dicit, DEUM ex parte ſua velle omnibus ſalutem procurare, etiam ijs, qui libertate ſua malè utuntur, & incidunt in judicium & damnationem, nec non idem S. Auguſtinus, hanc ſententiam pro certiſſima ſemper inculcat: *DEUS neminem deſerit, antequam deſeratur*. Iſtamq; ipſam expoſitionem, Sancti Patres, ut Proſper lib. 1. de vocatione gentium à cap. 4. & lib. 2. à cap. 9. uſq; ad 31. Doctor Angelicus, & veram eſſe, & Auguſtinianam ſæpius docent. Vide & ſupra dicta, cap. 1mo.

Nota 4tò. Quia Janſenius erroneè cenſuerat, nullam gratiam dari ſufficientem, ſed non niſi efficacem, hancque præſertim perſeverantiæ *Cur docuit, Janſe-*

nius Christum non esse mortuum pro omnibus?

vantiæ in bono, esse fructum mortis Christi; hinc intulit: Christum pro illis solùm, qui perseverant, & salvantur, mortem obiisse; pro alijs verò, qui gloriâ excidunt, quosq; sufficientibus ad eam obtinendam carere censebat auxilijs, minimè esse mortuum. Ast graviter erroneum esse illud ejus principium, nempe: Non dari gratiam, nisi efficacem, demonstratum est cap. 2do, & 4to.

Christus Dominus licèt non est mortuus pro Angelis, meruit tamen illis gratiã & gloriam,

Nota 5tò. Licèt Christus Dominus non sit mortuus pro Angelis, ut sentiunt Theologi cum S. Augustino, dicente cap. 16. Enchiridij: *DEUS pro nobis omnibus tradidit illum, non enim pro Angelis mortuus est Christus.* Multò minus non est mortuus pro Dæmonibus. Communior tamen nunc est Theologorum sententia, & Christi dignitati videtur convenientior, nostræq; devotioni congruentior: Quòd Christus meruerit etiam Angelis bonis, omnem Gratiam, omnem Gloriam, ejusq; augmentum. Videnturq; huic sententiæ favere Scriptura sacra, & Patres. Dicitur enim ad Ephes. 1. v. 10: *DEUS proposuit in Christo instaurare omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt.* S. Gregorius Magnus in cap. 2. lib. 1. Regum inquit: *Extra DEUM, neminem esse Sanctum, nisi in Christo.* S. Cyrillus in cap. 34. Isaiæ ait: *Omnem sanctificationem spiritualem, etiam in Angelis, esse per Christum.*

CAPUT VI.

ASsero 6tò. Admiranda impostura est Jansenij dicentis: Propositiones suas quinque superiùs propositas, & refutatas: à Summisq; Pontificibus damnatas, ut hæreticas, esse ipsiusmet S. Augustini.

Prædestinatiani, & Calvinus, ac Jansenius, falsò attribu-

PRæmitto. Quòd olim Gotteschalcus cum suis Prædestinatianis, S. Augustinum, Doctorem suum esse gloriosissimum vocitaverit, & ex libris Divi Augustini malè intellectis acceperit initium hæresis Prædestinatianorum, ut S. Prosper & Sigebertus in suis testantur Chronicis. Calvinus item, sub glorioso S. Augustini nomine pravorum dogmatum fuit propugnator: negando enim veram realem Christi Corporis præsentiam in Eucharistia, ad comprobandum hoc admirandè erroneum dogma suum, ausus est scribere lib. 4to Institut: cap.

cap. 16. §. 28. *Augustinus sine Controversia totus est noster.* Et ibidem cap. 19. §. 12. ait: *Augustinus nusquam plura duobus Sacramentis recenset.* Docendo item in statu naturæ lapsæ non dari gratiam, nisi necessitantem, sublativam libertatis indifferentiæ; pro hoc errore stabiliendo erroneè S. Augustinum citavit vigesies ex solis duobus capitibus, nempe 11. & 12mi, lib. de Corrept. & Gratia. Jansenius verò vestigia errantis Calvini sequendo, citavit suprà centies. Insuper omnes suas damnatas Propositiones quinque, contendit acriter Jansenius in suo Pseudo-Augustino, esse ipsiusmet Divi Augustini. Verùm id meram imposturam esse.

unt S. Augustino sua dogmata.

Probatur primò universaliter. Quia, exceptô Gotteschalco cum suis Prædestinatianis hæreticis: Calvino cum suis Calvinistis: & Jansenio cum suo parvo grege Jansenistarum, nullus Summorum Pontificum, nullus ex Orthodoxis totius orbis Doctoribus, qui à temporibus Divi Augustini (is obijt anno 433. ut Sanctus Prosper testatur in Chronicis) censuit, dictas quinq; propositiones esse S. Augustini: imò ij senserunt oppositum. Nec est credibile, tam eximium Ecclesiæ Doctorem, eas ut veras censuisse, utpote, quæ è diametro clarè scripturæ sacræ & Patribus antiquissimis, quin & rationi opponuntur: ut deductum superiùs. Quæ autem ex S. hoc Doctore pro suis erroneis propositionibus adducit facilè refelluntur, ut constat etiam ex notatis infra.

S. Augustinũ docuisse oppositũpropositionibus quinque Jansenij patenter evincitur.

Probatur 2dò. Quia S. Augustinus apertè docuit oppositum quinq; illis propositionibus: ut patet tum ex adductis suprà ejus textibus, tum ex sequentibus. Primam enim propositionem Jansenij, de impossibili observantia præceptorum DEI: subvertit S. Doctor: lib. 2o. de peccatorum meritis & remissione cap. 6. propositis varijs scriptutæ locis dicens: *His, atq; hujusmodi alijs innumerabilibus testimonijs, dubitare non possum, nec DEUM aliquid impossibile homini præcepisse, nec DEO ad opitulandum & adjuvandum, quô fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse, ac per hoc potest homo si velit, esse sine peccato adjutus à DEO.* Ibidem cap. 3. *Nullus nostrûm ignorat: quòd si nolumus, non peccamus: nec præcipit DEUS homini, quod est humanæ impossibile voluntati.* Ibidem cap. 7mo. *Cum voluntate humana, gratiâ adjuvante divinâ, sine peccato* (mortali) *in hac vita homines pos-*

sint esse, cur non sunt, possem facillimè ac veracissimè respondere, quia homines nolunt. Serm: 191. de tempore: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt: impossibile aliquid à DEO esse præceptum: & mandata non à singulis, sed ab omnibus in communi posse servari.* lib. 3. de libero arbitrio cap. 19: *Quæcunq; illa causa est voluntatis, si non potest resisti, sine peccato ceditur - quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem* (nempe in præsenti statu, non solùm autem in statu naturæ integræ peccatum est) *caveri igitur potest.*

Secundam Jansenij Propositionem, scilicet: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur:* erroneam esse docet S. Augustinus. Nam lib. de correptione & gratia cap. 6. dicit: *Si autem jam regeneratus & justificatus, in malam vitam, sua voluntate relabitur: certè iste non potest dicere, non accepi: quia acceptam gratiam DEI, suo in malum libero amisit arbitrio - an adhuc iste nolens corripi potest dicere: quid ego feci, qui non accepi? quem constat accepisse, & suâ culpâ, quod acceperat, amisisse.* Ibidem cap. 7. *Quoniam potest dici homini. In eo, quod audieras & tenueras, in eo perseverares, si velles.* Lib I. ad Simplicianum Episcopum Mediolanensem: *Si vocatio ita est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur, quomodo verum erit: multi vocati, pauci electi? Quinam illi pauci? Utiq; ij, qui vocantem non contempserunt, sed credendo secuti sunt.* Homilia 12 ex 50: *Per DEI adjutorium, cùm sit in potestate Tua, utrum consentias diabolo, quare non magis DEO, quàm ipsi obtemperare deliberas?* Lib. 12. de Civitate DEI cap. 6. dicit: E duobus æqualiter affectis animo & corpore, & eadem tentatione tentatis, unum deficere, quia voluit: alterum non, quia noluit.

Tertiam Propositionem Jansenij, nempe: *Non requiri in homine libertatem à necessitate ad merendum & demerendum*; condemnat falsitatis Sanctus Augustinus, dicens: lib 3. de libero arbitrio cap. 1. *Motus, quo huc atq; illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atq; in nostra positus potestate, neq; laudandus, cùm ad superiora, neq; culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet, quasi quendam cardinem voluntatis.* Lib de natura & gratia cap. 65. approbat tanquam certissimum, & toto corde suscipiendum dictum illud ex S. Hieronymo desumptum: *Nec ad virtutes, nec ad vitia, necessitate trahimur; alioqui ubi*

ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est. Lib. de duabus animabus cap. 12. *Illæ animæ* (malæ Manichæorum) *quidquid faciunt, si naturâ non voluntate faciunt: id est, si libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent, si deniq; his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatô earum teneri non possumus.* Lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *Si tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit: nulla peccata sunt: quis enim peccat in eo, quod caveri non potest?*

Quartam Jansenij Propositionem, quoad primam partem, nempe: *Semipelagiani admittebant prævenientis interioris gratiæ necessitatem, etiam ad initium Fidei.* Evidenter falsitatis arguit S. Doctor lib. de Prædest: Sanctorum cap. 1. 2 & 3 & lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum. Vide dicta superius cap. 4to in Præmissô 3tio.

Secundam etiam partem illius Propositionis, scilicet: *In hoc erant hæretici Semipelagiani, quòd vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare:* convincit erroris idem Sanctus. Nam præter alia, lib. de libero arbitrio cap. 2. probat, voluntatem auxiliô DEI præventam, indifferentem esse, ex verbis illis scripturæ Eccles. 15. *Ante hominem vita & mors, ad quodcunque voluerit, extendit manum suam.* Lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Noluit ergo Esau, & non cucurrit, sed etsi voluisset & cucurrisset, DEI adjutoriô pervenisset, qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Ex quibus textibus & alijs superius allatis, patet etiam ipsum S. Augustinum admisisse talem gratiam, cui humana voluntas possit resistere vel obtemperare. Ergò non poterat sentire, Semipelagianos ideò hæreticos fuisse, quòd talem gratiam admiserint: consequenter impostura S. Doctori à Jansenio facta, dum etiam in hac 2da parte suæ propositionis 4tæ: dicit S. Augustinum idem secum sentire. Accedit. Quia Doctor Angelicus, apprimè versatus in libris Divi Augustini, testatur à S. Præsule & alijs Patribus doceri, gratiæ divinæ posse à voluntate humana resisti: Ait enim S. Thomas in primum, dist: 40. q. 4. art. 2. *Dicunt Sancti communiter Dionysius, Augustinus, & Anselmus, quòd causa, quare iste non habet gratiam, est: quia ipse noluit accipere, & non, quia DEUS noluit dare, quia lumen suum omnibus offert, quod tamen non ab omnibus percipitur.*

Quintam Jansenij Propositionem, nempe; *Christus pro omnibus hominibus non est mortuus, nec sangvinem fudit.* Nonne Doctor Angelicus, evidenter condemnat erroris? dicens in Psal. 95. prope finem. *Judicabit orbem terrarum in æquitate: non partem, quia non partem emit: totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit.* Lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 8vo. *Inimicis suis vulnera sua demonstraturus est, propter quod dictum est per Prophetam; Videbunt in quem pupugerunt: non ut eis dicat, sicut Thomæ: Quia vidisti, credidisti: sed, ut convincens eos veritas dicat: Ecce hominem, quem crucifixistis. Ecce DEUM & hominem, in quem credere noluistis. Videtis vulnera, quæ inflixistis: agnoscitis latus, quod pupugistis: quoniam & propter vos, & per vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Serm: 67. de tempore. *Ut tu eriperеris morti, animam in tormentis dimisi: suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem: suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres: conditus jacui in sepulchro, ut tu regnares in Cælo. Cur, quod pro te pertuli, perdidisti? Cur ingrate, redemptionis Tuæ munera renuisti? Non te ego de morte mea quæro: redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi.* Epist: 157. *Morte Christi, non unius, aut aliquarum, sed universæ animæ propagatione contractum mortis chirographum rumpitur.* Lib. 20. de Civitate DEI, cap. 6. *Nec fecit ullam differentiam bonorum & malorum, omnibus enim bonum est audire vocem ejus, & vivere, & ad vitam pietatis ex impietatis morte transeundo, de qua morte ait Apostolus: Ergò omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est unus.*

Ad solvendas objectiones in contra.

Quæ in contra offeruntur à Jansenio ex Divo Augustino, fa-

NOta Imò. S. Augustinus Epist: 107. ad Vitalem dicens: *Scimus, gratiam non omnibus dari:* intelligendus est loqui de gratia habituali seu fidei. Aliquando etiam loquens S. Augustinus de impotentia, quæ quandoq; inest justis, tantùm vult eos esse impotentes ad servanda DEI præcepta citra DEI adjutorium & gratiam.

Nota 2dò. Dum dicit S. Doctor lib. 1. ad Simplicianum, q. 2. *Talis fuit vocatio, qua non possent moveri:* loquitur de impotentia consequente, non de antecedente. Item lib. de bono perseverantiæ cap. 14. dum dicit: *Tyrij & Sidonij credere potuerunt, si mira illa signa vidissent:*

dissent: sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum. Solùm vult, ijs qui defacto non credunt, non dari gratiam efficacem, aliquando nec proximè sufficientem: sed non negat dari gratiam absolutè sufficientem. *cilè dissolvuntur.*

Nota 3tiò. Absq; ulla gratia necessitante, DEO inesse omnipotentissimam, ut loquitur S. Augustinus, humanorum cordium inclinandorum potestatem, & omnipotentissimam facilitatem, ut duritia cordis humani tollatur. Vide dicta infra in 2da parte Tractatus 1mi cap. 2. notatum 5tum.

Nota 4tò Dum dicit Augustissimus Doctor: *Si DEUS miseretur, jam volumus: Nullius DEUS frustra miseretur.* Loquitur de misericordia divina congrua, seu de gratia efficaci. Dum verò lib. de Prædest: Sanctorum cap. 8. dicit: *Quid est, omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me* (sunt verba Christi Joan. 6. v. 45.) *Nisi nullus est, qui audiat & discat à Patre, & non veniat ad me -- Absit, ut quisq; non veniat, qui à Patre audivit & didicit.* Prædictorum genuinus sensus verborum Christi (ut explicat S. Thomas in Joan: lectione 5ta & S. Augustini est) quòd quicunq; á Patre interiùs illustrante, inspirante, & vocante audierit, & simul liberè consentiendo, didicerit, venit ad me; id est, credit in me, quasi Messiam, mihiq; obedit. Hancq; explicationem esse rectam constat ex ipso S. Augustino lib. 1. de Gratia Christi contra Pelagianos & Cælestinos, cap. 14.

Nota 5tò. Dum S. Præsul Hypponensis, epist: 102 dicit: *Non perit unus ex illis, pro quibus Christus mortuus est.* Lib. 1. de adulterinis conjugijs cap. 15. *Omnis, qui Christi sangvine redemptus est, homo est: non tamen omnis, qui homo est, etiam sangvine Christi redemptus est.* Lib. 2. de symbolo ad Catechumenos cap 8. inducit Christum loquentem reprobis sic: *Qui non estis redempti pretiô sangvinis mei, non estis mei.* Hæc inquam, & alia similia S. Doctoris testimonia, intelligenda sunt (ut colligitur clarè tum ex contextu, tum ex alijs ejus testimonijs superiùs adductis) non esse omnes redemptos in actu 2do, quoad effectum & fructum attinet, & quoad applicationem per Fidem & charitatem, hominibus liberam: licèt

omnes redempti sint in actu primo, & quoad sufficientiam pretij, pro ipsis oblati à Christo.

CAPUT VII.

Assero 7mò. Admiranda est Jansenij superbia.

Characteristica est hæreticorum arrogantia.

PRæmitto. Certum est, præcipuam Characteristicam, inter alias hæreticorum formalium, multò magis hæresiarcharum notas, esse superbiam: Unde S. Augustinus lib. de Pastoribus cap. 8. ait: *Mater superbia, omnes hæreses genuit*: & Calvinus idipsum in lib. de scandalis, non diffitetur, dicens: *Nullus unquam extitit erroru Magister, quem non prava ambitio in suum præcipitium extulerit - qui arrogantiâ turgent, eos non mirum est, à Schola Christi pulsos, vagis suis speculationibus sursum ac deorsum raptari. Quotquot falsorum dogmatum hac nostra ætate cœperunt esse auctores, reperiemus omnes superbiæ morbo correptos.* Notâruntq; idipsum antea in hæresiarcha Valentino, Tertullianus lib. contra eundem cap. 4. In Marcione, Sabellio, Aerio, S. Epiphanius hæresi 42 57. & 75. In Montano Ario, Nestorio; Theodoretus lib. 3. & 4. hæreticarum fabularum. De Gotteschalco, Hincmarus Rhemensis Episcopus in epist: ad Nicolaum Papam scribit: *Gotteschalcus, homo animo elatus, quietis impatiens, novorum verborum cupidus, insatiabili honoris ambitione incensus, protervus, & tumultuosus, ut inani animi ostentatione & falsâ quadam novitate, sui nominis famam adipisceretur - non cessat totos dies integros, non solùm scripturas, quas ad suam voluntatem trahit repugnantes, verùm etiam Doctorum Catholicorum sententias mutilatas, & à suo Germano sensu detortas, effutire, & eo modo in sui admirationem & æstimationem rapiebat non tantùm idiotas & simplices, verùm etiam mediocriter doctos - Appetit videri Doctor, & Magister eorum, qui ipsum docent.* Hæc Hincmarus de Gotteschalco hæretico.

Admirandæ arrogantiæ fuisse Janse-

Probatur Assertio. Quidni enim admiranda superbia Jansenij? qui cum contemptu Sedis Apostolicæ, & Accademiarum totius orbis orthodoxi, ausus est asserere omnimodè orthodoxas, & irrefragabilis veritatis esse suas propositiones, ex Elencho propositionum damna-

damnatarum Gotteschalci, Lutheri, Calvini, Michaëlis Baji, desumptas, quas pridem antea, Concilia, Pontifices Romani, præsertim S. Pius V, & Gregorius XIII, ut graviter erroneas condemnaverant: Academiæ omnes orthodoxæ proscripserant, ipseq; Michaël Bajus, ut constat ex ejus professione facta publicè Lovanij 24. Martij, anno 1580. pronuntiaverat hæc: *Planè mihi habeo persuasum, earum omnium sententiarum damnationem, atq; prohibitionem, jure meritoq;, ac non nisi maturô judiciô & diligentissima excussione præmissis, factam atq; decretam esse olim à S. D. N. Pio V. & nuper à Gregorio XIII.* S. verò Pius V. de omnibus 79. propositionibus Baji, anno 1567. Cal: 8bris, sic pronuntiavit: *Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possint, in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, ac quæcunq; super ijs, verbô scriptôq; emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus & abolemus, deq; eisdem & similibus posthac, quoq; pacto loquendi, scribendi, & disputandi facultatem quibuscunq; interdicimus: qui secùs fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficijs, & officijs, perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcunq; decernimus: vinculo quoq; anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus, Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, exceptô mortis articulô liberare.* Hanc Constitutionem S. Pij V. confirmavit novâ suâ constitutione Gregorius XIII. anno 1569. *nium, declaratur.*

Quid ad tam graves constitutiones Summorum Pontificum Jansenius? reprobatne sententias stricto examine ponderatas & damnatas? Minimè. Verùm arrogantiâ turgidus, respuit illas constitutiones, è contra summè approbat, acerrimè propugnat propositiones, quas esse hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, declarârunt & definiverunt summi Ecclesiæ Pastores, habentes infallibilem assistentiam Spiritûs Sancti in Decretis Fidei, toti Ecclesiæ ex Cathedra propositis: quas item reprobat universus orbis orthodoxus. Et quis non miretur tantam hominis unius Jansenij arrogantiam?

Insuper, Concilium Tridentinum, Compendium Ecclesiæ Orthodoxæ, expressè sess. 6. cap. 11. dicit: *Nemo temerariâ illâ, & à Patribus*

tribus sub anathemate prohibita voce uti debet: DEI Præcepta, homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nec unquam usa est antiquitas Christiana ea voce: *Impossibilia esse Præcepta DEI.* Nec Augustinus unquam illam usurpavit vocem: quin è contrario ejus vox fuit: *DEUS impossibilia non jubet:* Lib. de natura & gratia, cap. 43: Et en Jansenius, contempta auctoritate Concilij Oecumenici, totiusq; antiquitatis Christianæ, ipse intonat: *aliqua DEI præcepta, hominibus justis sunt impossibilia.* Quàm stupenda & excæcata arrogantia!

Jansenius, an ex animo, judicio se submiserit summi Pontificis

Ast dicet Jansenistarum fortè quispiam: Jansenium fuisse ab omni fastu remotissimum, & admirandæ potiùs demissionis exemplar: siquidem, licèt absolutissimus fuit Theologus, & in Sanctorum Patrum, præsertim Divi Augustini scriptis versatissimus (nam ut ipsemet testatur in suo Augustino libro prooemiali cap. 11. &, 18. omnibus Augustini libris evolvendis, supra viginti duos annos, operam navavit, omnesq; tricies pervolvit) tamen omnia sua scripta submisit oraculo Sedis Romanæ. Tomo enim 2do sui Augustini lib. 1. cap. 29. scripsit: *Mihi constitutum est, ad extremum usq; spiritum, Romanam Ducem sequi Ecclesiam, & Beatissimi Petri in Romana Sede successorem: super illam banc Petram, ædificatam Ecclesiam scio: quicunq; cum illo non colligit, spargit: apud eum solùm incorrupta Patrum servatur hæreditas: quodcunq; ab ista Petri Cathedra, ab ipso Christi Vicario præscriptum fuerit, teneo: quidquid improbatum, improbo: damnatum, damno: anathematizatum, anathematizo.* Item lib. 10. de gratia. *Quidquid de rebus tam multiplicibus, tam arduis, juxta mentem non meam, sed S. Augustini pronuntiavi, de Apostolicæ Sedis, Ecclesiæq; Romanæ Matris meæ judicio sententiaq;, suspendo: ut illud jam nunc teneam, si tenendum: revocem, si revocandum; damnem, & anathematizem, si damnandum, & anathematizandum esse judicaverit.* Respondeo. Utinam ex animo hæc scripsisset! non enim improbabiliter pleriq; opinantur, id eum præstitisse solùm ad censuras declinandas. Certum enim & evidens erat de illis propositionibus suis: *aliqua DEI præcepta hominibus justis sunt impossibilia. Ad merendum & demerendum non requiritur in homine libertas à necessitate.* Jam pridem latum fuisse Ecclesiæ Romanæ judicium condemnativum earundem. Nam utiq; condemnatæ erant antea propositiones Bajanæ, inter quas sunt

& hæ:

& hæ: *Pelagij est sententia, DEUM homini nihil impossibile præcepisse. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit.* Ad quid ergo eas etiam Propositiones subjicit Judicio Romanæ Ecclesiæ?

Accedit primò. Quia non solùm supradictas, sed plurimas alias Bajanas Propositiones damnatas, propugnavit tanquam veras in scriptis suis Jansenius, ut constat evidenter. Tum infrà ex Tractatus primi 2da parte cap. 4to. Tum ex Urbani VIII. Bulla anni 1641. pridie nonas Martij, in qua Pontifex declaravit: *Ex attenta & matura libri, cui titulus: Augustinus Cornelij Jansenij, lectione, compertum esse, multas ex Propositionibus à Prædecessoribus suis, Pio V. & Gregorio XIII. olim damnatas, contineri, & magnô cum Catholicorum scandalô, & Auctoritatis Sedis Apostolicæ contemptu, contra præfatas damnationes & definitiones, defendi, malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertenti.* Tum quia habetur Authenticum Jansenij manuscriptum, quod incipit: *Ad excusandas Propositiones Magistri Michàëlis Baji*; in quo scripto, graviter queritur, Constitutiones Pij V. & Gregorij XIII. contra Bajum *esse impedimentum doctrinæ veteris introducendæ - Non sine arte Satanæ procuratum fuisse videtur obstaculum illud condæmnationis Michàëlis Baji.*

Hæresiarchæ solent initiò simulatè doctrinam suam submittere judicio Ecclesiæ: sic Lutherus & Huss.

Accedit 2dò. Consvetum esse hæresiarchis, suam erroneam doctrinam, initiò, callidè, subjicere judicio Ecclesiæ, quousq; possint Asseclarum numerô aucti, apertô Marte contra eam pugnare. Sic Lutherus initio sui 5ti Evangelij, in appellatione sua loquitur tomo 1. lat. Vittemberg: *Paratus sum, omnia mea subjicere inprimis Judicio Sanctæ Ecclesiæ Romanæ: deinde illustribus studijs, Basileensi, Friburgensi, Lovaniensi: ac si opus esset, etiam antiquæ illi studiorum Parenti, & in Theologicis rebus, uti florentissimæ, ita zelosissimæ Universitati Parisiensi.* Joannes item Huss, initio suæ hæreseos, appellando ab Episcopo Pragensi ad Papam scripsit: *In DEI Nomine ad Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum, Dominum Joannem Divinâ DEI Providentiâ Papam XXIII. & ejus Sanctam Sedem Apostolicam, quam semper corde, ore, & opere profitemur, provocamus & appellamus.* Quantum autem hi duo hæresiarchæ, aucti multitudine sui sequacium, restiterint Judicio Ecclesiæ, in comperto est.

Sed concedamus, Jansenium seriò ex animo omnia sua scripta subje-

ſubjeciſſe Romanæ judicio Eccleſiæ. Numquid inde rectè infertur, cum ante hanc ſubjectionem non fuiſſe admirandæ ſuperbiæ?

Ad meliorem intelligentiam, & confirmationem ſuperiùs dictorum contra Janſenij Propoſitiones quinq; damnatas, & contra effugia Janſeniſtarum: ad finem primæ partis hujus Tractatûs primi, coronidis locò appono Bullam Clementis XI: literas Innocentij X, item literas Epiſcoporum Galliæ ad Innocentium X. Edictum Regis Chriſtianiſſimi, ejuſdemq; Reſcriptum ac Decretum ſacræ Theologiæ Pariſienſis. Inſuper & epiſtolam Encyclicam Antiſtitum Pariſijs congregatorum, ad omnes Galliæ Prælatos, quæ omnia continent damnationem hæreſis Janſeniſticæ.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XI.

Confirmatio & innovatio Conſtitutionum Innocentij Papæ X. & Alexandri Papæ VII. adverſus Janſenianam Hæreſim editarum, cum nonnullis declarationibus, pro debita illarum obſervantia adjectis.

CLEMENS Epiſcopus, Servus Servorum DEI.

Bulla Clementis XI

UNiverſis Chriſti fidelibus Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Vineam Domini Sabaoth, quæ eſt Catholica Eccleſia, pro commiſſo nobis divinitùs Apoſtolicæ ſervitutis munere cuſtodire atq; excolere omni ſtudio atq; induſtria jugiter ſatagentes, ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris ad ſuccreſcentes in illa pernicioſarum novitatum vepres radicitùs evellendos prudenti ſalubriq; Concilio conſtituta eſſe noſcuntur, ut quibuſcunque inimici hominis molitionibus dejectis, firmiùs ſemper atq; exactiùs obſerventur Apoſtolici muniminis noſtri præſidio libenter roboramus, atque alias deſuper ſolicitudines & providentiæ noſtræ partes interponimus, ſicut omni-

,omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis ad fidem,
,lem, ac tutam orthodoxæ veritatis custodiam, nec non a-
,nimarum pretioso Unigeniti DEI Filij Domini Nostri JE-
,SU Christi sangvine redemptarum salutem expedire in Do-
,mino arbitramur. Sanè postquam fel. mem. Innocentius Pa-
,pa X. Prædecessor noster per quandam suam desuper edi-
,tam Constitutionem quinq; famosas Propositiones ex libro
,Cornelij Jansenij Episcopi Iprensis, cui titulus, *Augustinus*,
,excerptas, Apostolici censurâ judicij ritè confixerat, rec.
,mem. Alexander Papa VII etiam Prædecessor Noster ad e-
,jusmodi jam damnatos errores è Christi fidelium mentibus
,prorsus abolendos, publicæq; tranquillitatis perturbatorum
,subtili tectas calliditate machinationes penitùs evertendas;
,prædictam Innocentij Prædecessoris Constitutionem toto il-
,lius inserto tenore confirmavit, novarumq; declarationum
,accessione stabilivit, suâ in id pariter edita Constitutione
,tenoris, qui sequitur, videlicet:

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum DEI. Uni-
,versis Christi fidelibus Salutem & Apostolicam Benedictio-
,nem. Ad Sanctam B. Petri Sedem, & universalis Ecclesiæ
,regimen inscrutabili Divinæ Providentiæ dispositione, nul-
,lis nostris suffragantibus meritis evecti, in nihil nobis anti-
,quiùs ex muneris nostri debito esse duximus, quàm, ut San-
,ctæ fidei Nostræ, ac Sacrorum Dogmatum integritati tra-
,dita nobis à DEO potestate opportunè consuleremus. Ac
,licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt
,definita, novæ decisionis, sive declarationis accessione ne-
,quaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillita-
,tis turbatores, illa in dubium revocare, vel subdolis inter-
,pretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste lati-

„ us divagetur, promptum Apostolicæ authoritatis remedium
„ censuimus non esse differendum. Emanavit si quidem aliàs à
„ fel. record. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro Con-
„ stitutio, declaratio & definitio tenoris, qui sequitur videl:

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum DEI. U-
„ niversis Christi fidelibus salutem & Apostolicam benedictio-
„ nem. Cùm occasione Impressionis libri, cui titulus: *Augu-*
„ *stinus Cornelij Jansenij Episcopi Iprensis*, inter alias ejus o-
„ piniones, orta fuerit præsertim in Gallijs Controversia su-
„ per quinq; ex illis, complures Galliarum Episcopi apud
„ Nos institerunt, ut easdem Propositiones nobis oblatas ex-
„ penderemus, ac de unaquaq; earum certam & perspicuam
„ ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum propositio-
„ num est, prout sequitur:

Prima. Aliqua DEI Præcepta hominibus justis volen-
„ tibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent, vires,
„ sunt impossibilia, deest quoq; illis gratia, quâ possibilia fiant.

Secunda. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam
„ resistitur.

Tertia. Ad merendum & demerendum in statu natu-
„ ræ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate,
„ sed sufficit libertas à coáctione.

Quarta. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ
„ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium
„ Fidei: & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam gratiam
„ talem esse, cui possit humana voluntas resistere vel obtem-
„ perare.

Quinta. Semipelagianum est dicere, Christum pro o-
„ mnibus mortuum esse, aut sangvinem fudisse.

Nos quibus inter multiplices curas, quæ animum no-
strum

,strum assiduè pulsant, illa inprimis cordi est, ut Ecclesia
,DEI Nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum
,erroribus tutò militare, & tanquam navis in tranquillo
,mari sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis se-
,curè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire pos-
,sit; pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus,
,ad id specialiter sæpiùs congregatis, ac pluribus in sacra
,Theologia Magistris, easdem quinq; Propositiones, ut suprà
,nobis oblatas, fecimus sigillatim diligenter examinari, eo-
,rumq; suffragia, tum voce, tum scriptô relata maturè con-
,sideravimus, eosdemq; Magistros varijs coram nobis actis
,congregationibus prolixè super eisdem ac super earum qua-
,libet differentes audivimus. Cùm autem ab initio hujusce-
,modi discussionis ad divinum implorandum auxilium mul-
,torum Christi fidelium preces tum privatim, tum publicè in-
,dixissemus; postmodum iteratis eisdem ferventiùs ac per
,nos sollicitè imploratâ Sancti Spiritus assistentiâ tandem
,divino numine favente ad infrascriptam devenimus decla-
,rationem & definitionem.

Primam prædictarum Propositionum: Aliqua DEI Præ-
,cepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm
,præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoq;
,illis gratia, quâ possibilia fiant. Temerariam, impiam, blas-
,phemam, anathemate damnatam, & hæreticam, declara-
,mus, & uti talem damnamus.

Secundam. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nun-
,quam resistitur: Hæreticam declaramus, & uti talem da-
,mnamus.

Tertiam. Ad merendam & demerendam in statu na-

,turæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate,
,ſed ſufficit libertas à coáctione: Hæreticam declaramus, &
,uti talem damnamus.

Quartam. Semipelagiani admittebant prævenientis gra-
,tiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad ini-
,tium Fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam
,gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere
,vel obtemperare: Falſam, & hæreticam declaramus, & uti
,talem damnamus.

Quintam. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro
,omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſangvinem
,fudiſſe. Falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo
,ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mor-
,tuus ſit: impiam, blaſphemam, contumelioſam & divinæ pi-
,etati derogantem & hæreticam declaramus, & uti talem
,damnamus.

Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus utriuſq; ſe-
,xûs ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare
,aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra declaratio-
,ne & definitione continetur, ſub cenſuris & pænis contra
,hæreticos & eorum fautores in jure expreſſis. Præcipimus
,omnibus pariter Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ali-
,iſq; locorum ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis inqui-
,ſitoribus, ut contradictores & rebelles quoſcunq;, per cen-
,ſuras & pænas prædictas cæteraq; juris & facti remedia op-
,portuna, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio bra-
,chij ſæcularis, omninò coërceant, & compeſcant. Non in-
,tendentes tamen per hanc declarationem & definitionem,
,ſuper prædictis quinque Propoſitionibus factam, approbare
,ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto li-
bro

,bro Cornelij Jansenij. Romæ apud S. Mariam Majorem da-
,tum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo
,quinquagesimo tertio, pridie Kal. Junij Pontificatûs Nostri
,Anno IX.

Cùm autem sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij,
,prædictas quinque Propositiones, vel in libro prædicto e-
,jusdem Cornelij Jansenij non reperiri, sed fictè & pro ar-
,bitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem, intento,
,damnatas fuisse, asserere, magno cum Christi fidelium scan-
,dalo non reformident, nos, qui omnia, quæ hac in re gesta
,sunt, sufficienter & attentè perspeximus, utpote, qui ejus-
,dem Innocentij Prædecessoris jussu, dum adhuc in minori-
,bus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus
,illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica autho-
,ritate eadem causa discussa est, eâ profectò diligentiâ, quâ
,major desiderari non posset, quamcunq; dubitationem super
,præmissis in posterum auferre volentes, ut omnes Christi
,fideles in ejusdem Fidei unitate sese contineant ex debito
,nostri Pastoralis officij ac matura deliberatione præinser-
,tam Innocentij Prædecessoris Nostri Constitutionem, decla-
,rationem & definitionem harum serie confirmamus, appro-
,bamus, & innovamus, & quinque illas propositiones præ-
,memorati Cornelij Jansenij Episcopi Iprensis, cui titulus est
,*Augustinus*, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jan-
,senio intento damnatas fuisse declaramus & definimus, ac
,uti tales inustâ scilicet eâdem singulis notâ, quæ in prædi-
,cta declaratione & definitione unicuiq; illarum sigillatim
,inuritur, iterum damnamus, ac eundem librum sæpe dicti
,Cornelij Jansenij, cui titulus: *Augustinus*, omnesq; alios tam
,manuscriptos, quàm typis editos, & si quos forsan in poste-
rum

,rum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelij ,Jansenij doctrina, ut suprà damnata, defenditur, vel astru-,itur, aut defendetur, vel astruetur, damnamus itidem atq; ,prohibemus. Mandantes omnibus Christi fidelibus, ne præ-,dictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbô vel ,scriptô exponant, vel interpretentur publicè, vel privatim, ,palam vel ocultè imprimant, sub pænis & censuris contra ,hæreticos in jure expressis, ipso facto absq; alia declarati-one, incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus ,Fratribus Nostris, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, ,Archiepiscopis, Episcopis cæterisq; locorum Ordinarijs, ac ,hæreticæ pravitatis inquisitoribus, ac judicibus Ecclesiasti-,cis, ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem Innocentij ,Prædecessoris Constitutionem, declarationem, & definitio-,nem, juxta præsentem Nostram determinationem, ab o-,mnibus observari faciant, ac inobedientes & rebelles præ-,dictis pænis alijsque juris & facti remedijs, invocatô etiam, ,si opus fuerit brachij sæcularis auxiliô, omninò coerceant, ,Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarna-,tionis Dominicæ Millesimo sexcentesimo quinquagesimo ,sexto, decimo septimo Kal. Novembris Pontificatûs Nostri ,Anno II.

Subinde verò, quò omnis Apostolicarum definitionum ,eludendarum aditus intercluderetur, memoratus Alexan-,der Prædecessor, priscum Ecclesiæ morem sequutus, certam ,edidit formulam, ab omnibus Ecclesiastici Ordinis, tàm sæ-,cularibus quàm regularibus Personis subscribendam, per a-,liam suam hac in re promulgatam Constitutionem tenoris ,sequentis, videlicet: ALEXANDER Episcopus Servus Ser-,vorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Regiminis Apo-

stolici

„ſtolici Divina Providentia, Nobis quamvis immeritis com-„miſſi ratio poſtulat, ut ad ea potiſſimùm, quæ Catholicæ „Religionis integritati & propagationi animarumq; ſaluti & „fidelium tranquillitati conſulere apta, & idonea eſſe judi-„cantur, animum & curam omnem, quantum licet, in Do-„mino applicemus. Quamobrem Cornelij Janſenij hæreſim „in Gallijs præſertim ſerpentem ab Innocentio X. ſel. re-„cord. Prædeceſſore Noſtro fere oppreſſam ad inſtar co-„lubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt, in varios gyros „& cavillationum deflexus euntem ſingulari Conſtitutione, „ad hunc finem edita altero Aſſumptionis noſtræ anno ex-„tingvere conati fuimus. Sed ut multiplices hoſtis homi-„num generis artes adhibet, nondum plenè conſequi potu-„imus, ut omnes errantes in viam ſalutis redirent, qui tamen „unicus erat votorum, & curarum noſtrarum ſcopus, qui-„bus operam & induſtriam ſuam egregio ſanè ſtudio Vene-„rabiles Fratres Noſtri Archiepiſcopi, & Epiſcopi Regni „Galliæ earumdum Conſtitutionum Apoſtolicarum exequu-„tioni præcipuè intenti contulerunt, & chariſſimus in Chri-„ſto Filius noſter Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari pietate „auxiliarem dexteram ſtrenuô ac conſtantiſſimô animo por-„rexit. Cùm autem præfatus Rex Chriſtianiſſimus, eodem „Religionis zelo ductus, per ſuum in urbe Oratorem Nobis „ſignificari exponiq; curaverit, nullum aliud opportuniùs re-„medium peſtiferæ hujus contagionis reliquijs extirpandis „adhiberi poſſe, quàm ſi omnes certam formulam ſubſcribe-„rent Noſtra Authoritate firmatam, in qua quinq; Propoſiti-„ones, ex Cornelij Janſenij libro, cui titulus: *Auguſtinus*, ex-„cerptas, ſyncerè damnarent, ac proinde illam à Nobis quan-„tociùs expediri ad quælibet effugia præcludenda, omnesq;

,, removendos obtentus, flagitaverit. Nos tam pijs dicti Re-
,, gis Christianissimi votis benignè annuendum esse ducen-
,, tes, formulam infrascriptam ab omnibus Ecclesiasticis eti-
,, am Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopis & Epi-
,, scopis, nec non alijs quibuscunq; Ecclesiastici Ordinis tam
,, Regularibus, quàm Saecularibus etiam Monialibus, Docto-
,, ribus & Licentiatis, alijsq; Collegiorum Rectoribus, atq;
,, Magistris subscribi districtè mandamus, idq; intra tres men-
,, ses à die publicationis seu notificationis praesentium: alias
,, contra eos, qui intra terminum praedictum non paruerint,
,, irremissibiliter procedi volumus, juxta Canonicas Consti-
,, tutiones, & Conciliorum Decreta. Formula à supradictis
,, subscribenda. Ego N. Constitutioni Apostolicae Innocentij
,, X, datae die 31 Maji 1653, & Constitutioni Alexandri VII,
,, datae die 16 Octob. 1656. Summorum Pontificum me sub-
,, jicio, & quinq; Propositiones ex Cornelij Jansenij libro, cui
,, nomen *Augustinus*, excerptas, & in sensu ab eodem Autho-
,, re intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apo-
,, stolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno; & ita
,, juro: sic me DEUS adjuvet, & haec Sancta DEI Evange-
,, lia. Decernentes insuper praesentes literas semper, & per-
,, petuò validas & efficaces existere, & fore, suosq; plenos
,, & integros effectus sortiri & obtinere. Sicq; per quoscun-
,, que Judices ordinarios & Delegatos, ubiq; judicari & defi-
,, niri debere, sublata eis, & eorum cuilibet, quâvis aliter ju-
,, dicandi & interpretandi facultate & authoritate, ac irri-
,, tum & inane, si secus super his à quocunq;, quavis au-
,, thoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quo-
,, circa Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis,
,, alijsq; locorum ordinarijs committimus & mandamus, ut

singu-

„singuli in suis Diæcesibus, ac locis suæ jurisdictioni subje-
„ctis, præsentes literas, & in eis contenta quæcunq; exe-
„quantur, & exeqvutioni mandari ac observari, ab omnibus
„curent, & inobedientes quoscunq; per suas sententias, cen-
„suras & pænas, aliaq; juris & facti remedia, appellatione
„postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachij sæ-
„cularis auxiliô, omnino compellant. Volumus autem, ut
„præsentium transsumptis etiam impressis, manu Notarij pu-
„blici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ec-
„clesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibe-
„atur, quæ ipsis originalibus literis adhiberentur, si forent
„exhibitæ vel ostensæ: nulli ergo omnino hominum liceat,
„hanc nostram Constitutionem & Ordinationem infringere,
„vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc atten-
„tare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac
„Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit in-
„cursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majo-
„rem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesi-
„mo sexagesimo quarto, quintodecimo Kalendas Martij, Pon-
„tificatus Nostri Anno X.

Sic equidem causa finita est: non tamen sic, ut par erat, „finitus est error, Apostolico toties mucrone percussus. Neq; „enim defuêre, nec adhuc desunt homines, veritati non ac-„quiescentes, & nunquam Ecclesiæ contradicendi finem fa-„cientes, qui varijs distinctionibus, seu potiùs effugijs ad cir-„cumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turba-„re, eamq; interminatis quæstionibus, quantum in ipsis est, „involvere & implicare conantur, quodq; deterius est, ipsa-„met Apostolicæ Sedis Decreta redarguendis eorum pravis „sensibus condita, ac præsertim quasdam piæ mem. Clemen-

„tis Papæ IX. die 19 Januarij, 1669. ad quatuor Galliæ Episco-
„pos, nec non binas, similis memoriæ Innocentij Papæ XII.
„etiam Prædecessorum nostrorum, die 6. Februarij 1694 & die
„24 Novembris 1696. ad Episcopos Belgij in Forma Brevis
„respectivè datas literas, in erroris sui patrocinium advoca-
„re temerario planè usu, non erubescunt; perinde ac si me-
„moratus Clemens Prædecessor, qui eisdem suis literis se In-
„nocentij X. & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutio-
„nibus supradictis firmissimè inhærere, ac à dictis quatuor
„Episcopis veram & totalem obedientiam adeóq; Formulæ
„à præfato Alexandro Prædecessore, sicut præmittitur, editæ
„sincerè per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam
„gravi negotio exceptionem seu restrictionem, quam nullam
„prorsus se unquam admissurum fuisse protestatus fuit, re ipsa
„admisisset: dictus verò Iunocentlus XII. Prædecessor, dum
„sapienter ac providè prædictas quinq; Propositiones, ex me-
„morato libro Jansenij excerptas, in sensu obvio, quem ipsa-
„met propositionum verba exhibent, ac præseferunt, damna-
„tas esse pronunciavit, non de ipsomet obvio sensu, quem in
„Jansenij libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac
„à præfatis Innocentio X. & Alexandro VII. Prædecessoribus
„damnatus fuit, sed de alio quopiam diverso sensu cogitas-
„set, dictasq; Innocentij X. & Alexandri VII. Prædecessorum
„Constitutiones temperare, restringere, aut alio quovis mo-
„do immutare voluisset ijsdem ipsis literis, quibus eas in suo
„robore fuisse, & esse, seq; illis firmiter inhærere verbis a-
„pertissimis asserebat. Præterea ijdem inquieti homines, spar-
„sis undequaq; scriptionibus ac libellis, exquisita ad fallendum
„arte compositis, non sine gravi Apostolicæ Sedis injuria,
„maximoq; totius Ecclesiæ scandalo, docere non sunt veriti;

Ad

,Ad obedientiam præfatis Apostolicis Constitutionibus debi-
,tam non requiri, ut quis prædicti Janseniani libri sensum in
,antedictis quinq; Propositionibus sicut præmittitur, damna-
,tum interiùs, ut hæreticum damnet, sed satis esse, si ea de re
,obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quæ
,quidem Assertio quàm absurda sit, & animabus Fidelium per-
,niciosa, satis apparet dum, fallacis hujus doctrinæ palliô non
,deponitur error, sed absconditur; vulnus tegitur, non cu-
,ratur: Ecclesiæ illuditur, non paretur. Et lata demum filijs
,inobedientiæ via sternitur ad fovendam silentiô hæresim;
,dum ipsam Jansenij doctrinam, quam ab Apostolica Sede
,damnatam Ecclesia Universalis exhorruit,adhuc interiùs ab-
,jicere, & corde improbare detrectant: quin etiam eò impu-
,dentiæ nonullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis
,honestatis, ne dum Christianæ sinceritatis obliti, asserere non
,dubitaverint, præfatæ Formulæ à memorato Alexandro
,Prædecessore præscriptæ subscribi licitè posse etiam ab ijs,
,qui interiùs non judicant, prædictô Jansenij librô doctrinam
,hæreticam contineri: Quasi verò, contra quam scriptum est:
,*Qui loquitur veritatem in corde suo.* Et: *Qui jurat proximo*
,*suo, & non decipit*; hujusmodi erroris sectatoribus liceat Ec-
,clesiam ipsam jurejurando decipere, simulq; Apostolicæ Se-
,dis Providentiam fallere, dum ejusdem formulæ conceptis
,verbis loquuntur: quod Ecclesia loquitur, quod tamen sen-
,tit ipsa, non sentiunt, seq; parere Constitutionibus Apostoli-
,cis profitentur, quibus animo contradicunt. Hinc est,quòd
,nos ad opportunum & efficax tam exitiali morbo, qui, ut
,cancer serpit, & quotidie in deterius vergit, remedium ad-
,hibendum non minùs demandatæ nobis omnium Ecclesia-
,rum sollicitudinis debito, quàm plurium Venerabilium Fra-

,trum noſtrorum diverſarum partium, ac præſertim Regni ,Galliarum Epiſcoporum zelo ac precibus excitati, ne hujus- ,modi pravi homines Eccleſiæ Catholicæ pacem ſubverte- ,re impunè pergant, & ſimplicium ac puſillorum mentibus ,imponere, docentes, quæ non oportet: neve ullus apud e- ,os quoq;, qui bona, ut ajunt, fide ac falſis rumoribus de- ,cipi ſe fortaſſe patiuntur, de mente ac ſententia Apoſtoli- ,cæ Sedis ampliùs ambigendi ſuperſit locus, Divino priùs ,tam privatis Noſtris, quàm publicè indictis precibus, im- ,ploratô præſidiô ac re maturè diſcuſſa, de nonnullorum Ve- ,nerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium con- ,ſilio, auditiſq; complurium in Sacra Theologia Magiſtro- ,rum ſuffragijs. Primò quidem præinſertas Innocentij X, & ,Alexandri VII Prædeceſſorum Conſtitutiones omniaq; & ,ſingula in eis contenta Authoritate Apoſtolica tenore præ- ,ſentium confirmamus, approbamus, & innovamus. Ac in- ,ſuper, ut quævis in poſterum erroris occaſio penitus præ- ,cidatur, atq; omnes Catholicæ Eccleſiæ Filij Eccleſiam i- ,pſam audire, non tacendo ſolùm (nam & impij in tenebris ,conticeſcunt) ſed & interiùs obſequendo, quæ vera eſt Or- ,thodoxi hominis obedientia, condiſcant hac noſtra perpe- ,tuò valitura Conſtitutione, obedientiæ, quæ præinſertis A- ,poſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio ,minimè ſatisfieri; ſed damnatum in quinq; præfatis Propo- ,ſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum verba præ- ,ſeferunt, ut præfertur ab omnibus Chriſti fidelibus, ut hæ- ,reticum, non ore ſolùm, ſed & corde rejici ac damnari de- ,bere; nec alia mente animo aut credulitate ſupradictæ for- ,mulæ ſubſcribi licitè poſſe, ita, ut, qui ſecus aut contra quo- ,ad hæc omnia & ſingula ſenſerint, tenuerint, prædicave-

rint,

,rint, verbô vel ſcriptô docuerint aut aſſeruerint, tanquam ,præfatarum Apoſtolicarum Conſtitutionum transgreſſores, ,omnibus & ſingulis illarum cenſuris & pænis omnino ſub-,jaceant, eadem Authoritate Apoſtolica decernimus, decla-,ramus, ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes pariter eas-,dem præſentes & præinſertas literas ſemper & perpetuo ,validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuosq; plenarios & in-,tegros effectus ſortiri & obtinere, ſicq; per quoſcunq; Ju-,dices Ordinarios & Delegatos, ubiq; judicari & definiri de-,bere; ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judican-,di & interpretandi facultate & Auctoritate, ac irritum & ,inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis Auctoritate ſci-,enter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Vene-,rabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, alijſque lo-,corum ordinarijs, nec non hæreticæ pravitatis Inquiſitori-,bus, & Judicibus Eccleſiaſticis, ad quos pertinet, committi-,mus, & mandamus, ut ſinguli in ſuis reſpectivè Diæceſi-,bus ac locis ſuæ Juriſdictioni ſubjectis, ipſas præſentes lite-,ras, & in eis contenta quæcunq; exequantur & executio-,ni mandari & obſervari ab omnibus curent, & inobedien-,tes & rebelles quoſcunq; per cenſuras & pænas præfatas, ,aliaq; Juris & facti remedia appellatione poſtpoſita, invo-,cato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio, ,omnino coërceant & compellant. Volumus autem, ut ea-,rundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu a-,licujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in di-,gnitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis, eadem Fides pror-,ſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ,ſi forent exhibitæ & oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum ,liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, invo-

„invocationis, Decreti, declarationis, ſtatuti, & ordinatio-„nis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis au-„tem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipo-„tentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, „ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Ma-„riam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſi-„mo ſeptingenteſimo quinto, decimo ſeptimo Kalendas Au-„guſti, Pontificatûs Noſtri Anno V.

POSTULATIO EPISCOPORUM GALLIÆ, Ad Pontificem Romanum INNOCENTIUM X.

Poſtulatio Epiſcoporũ Galliæ.

BEatiſſime Pater. Majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolennis Eccleſiæ mos eſt, quem Fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri, pro ſuo jure, „poſtulat. Æquiſſimè huic Legi obſequentes, de graviſſimo „circa Religionem negotio Sanctitati Tuæ ſcribendum eſſe „cenſuimus. Decennium eſt, ex quo vehementiſſimis turbis „Gallia, magno noſtro mœrore commovetur, ob librum poſt-„humum, & doctrinam Reverend. Cornelij Janſenij Iprenſis „Epiſcopi. Tales quidem motus ſedari oportebat, tum Con-„cilij Tridentini Authoritate, tum Bullæ illius, quâ Urbanus „VIII. fel. mem. adversùs Janſenij dogmata pronunciavit, & „Decreta Pii V. ac Gregorij XIII. in Bajum edita confirma-„vit. Atq; hujus quidem Bullæ veritatem, ac robur novo di-„plomate vindicaſti: ſed quia nulli ſigillatim propoſitioni cer-„ta Cenſuræ nota inuſta fuit, locus etiamnum aliquis quorun-„dam cavillis & effugio relictus eſt. Intercludendum autem „penitus ſperamus, ſi, ut precamur, Sanctitas Tua quid hac „in re ſentiendum ſit, clarè diſtincteq; definiat. Obteſtamur „ergo, ut has præſertim Propoſitiones, de quibus diſceptatio

peri-

, periculosior, ac contentatio ardentior est, Sanctitas Tua
, expendat, ac perspicuam, & certam de unaquaque senten-
, tiam ferat.

Prima. Aliqua DEI Præcepta hominibus justis volen-
, tibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent, vires,
, sunt impossibilia, deest quoq; illis gratia, quâ possibilia fiant.

Secunda. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam
, resistitur.

Tertia. Ad merendum & demerendum in statu natu-
, ræ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate,
, sed sufficit libertas à coáctione.

Quarta. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ
, interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fi-
, dei: & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam gratiam talem
, esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

Quinta. Semipelagianum est dicere, Christum pro omni-
, bus omnino hominibus mortuum esse, aut sangvinem fudisse.

Experta est nuper Beatitudo Tua, quantum Apostolicæ
, Sedis, in gemini Ecclesiæ Capitis errore profligando, valu-
, erit Authoritas: continuò sedata est tempestas, atq; ad Chri-
, sti vocem & imperium venti, & mare obedierunt: Quam-
, obrem flagitamus, BEATISSIME PATER, ut clarâ firmâque
, de Propositionum istarum sensu prolatâ sententiâ, cui Re-
, verend. ipse Jansenius morti proximus, opus suum subjecit,
, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas,
, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque
, restituas. Dum hæc spes mentibus nostris affulget, Sancti-
, tati Tuæ multos & prosperos annos, sæculoq; beatissimam
, æternitatem Rex sæculorum immortalis adjiciat, optamus
, ac vovemus. *Subscripserunt Episcopi octoginta quinq;.*

LITERÆ INNOCENTII X. PONTIFICIS MAXIMI, ad Ludovicum XIV. Regem Christianissimum.

Literæ Innocentij X ad Regem Galliæ.

CHarissime in Christo Fili noster; Salutem, & Apostolicam benedictionem. Constitutionem, quâ post longam accurati examinis indaginem, & Spiritus Sancti lumen publicè, ac privatim sæpiùs imploratum, quid sentiendum sit de quibusdam Propositionibus, declaravimus, & definivimus, Majestati tuæ cum his literis mittimus. Ex ea sententiam Catholicæ Fidei in gravi hoc negotio à nobis audies: nec dubitamus quin eadem futura sit tum populis Christianis salutaris, tum summoperè grata pietati Tuæ; cùm præsertim & ipse per Oratorem tuum, pro Sanctæ hujus Sedis super his decisione apud nos institeris. Majestati tuæ Benedictionem Apostolicam amantissimè impartimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 31 Maji 1653. Pontificatûs nostri Anno nono.

F. Florentinus.

LITERÆ INNOCENTII X. AD EPISCOPOS GALLIÆ.

Ad Episcopos Galliæ

VEnerabiles Fratres; Salutem, & Apostolicam benedictionem. Rectè atq; ordine fecit Fraternitatum Vestrarum Pietas, quæ, cùm in Ecclesiis istis, Propositionum, de quibus ad nos scripsistis, occasione turbas ingentes excitari cerneret, ascendit ad locum hunc sanctum, quem elegit Dominus, ut Catholicam super his veritatem à nobis quæreret. Nos igitur post longam accurati examinis indaginem, & preces luminum Patri DEO enixè porrectas, quid sentiendum sit de Propositionibus illis, declaravimus, ac definivimus hac Constitutione, quam cum his literis ad vos mittimus. Ex ea sententiam Orthodoxæ Fidei in gravi hoc negotio à nobis audietis; nec dubitamus, quin futura sit

tum

tum Populis Christianis salutaris, tum summoperè grata insigni zelo Fraternitatum Vestrarum, quibus Benedictionem Apostolicam peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 31 Maji 1653. Pontificatûs nostri Anno IX.

EDICTUM REGIS, MISSUM AD ARCHIEPISCOPOS Franciæ, pro executione Bullæ Pontificiæ datæ 31 Maji præteriti.

Edictum Regis Galliæ, ad Episcopos Galliæ.

LUDOVICUS DEI Gratiâ Rex Franciæ & Navarræ; Dilectis & fidelibus Consiliarijs Nostris Archi-Episcopis, & Episcopis Regnorum Nostrorum, Regionum & Terrarum Nobis subditarum, salutem. Cùm Sanctissimus Pater, Bullâ suâ, cujus exemplum hîc annexum est sub sigillo Cancellariæ nostræ, definierit quinq; Propositiones variè traditas, & invocato Spiritu Sancto, auditis plurimis Cardinalibus, Prælatis, & alijs gravibus & eruditis Viris, quid de ijs sentiendum sit, decreverit: idq; eò libentiùs fecerit, quò sæpiùs de parte nostra requisitus fuerat, ad prævenienda diversa mala, quæ inde poterant oriri, si remedium diutiùs dilatum fuerit: & cùm D. Bagny Archi-Episcopus Athenarum, Nuntius Suæ Sanctitatis apud nos, ex ejus parte nos requisierit, offerens ejus Breve, datum 31 Maji, quo eandem Bullam publicari & executioni mandari faceremus, per omnem ditionem à Divina bonitate Nobis subditam. Nos, qui more Regum Decessorum nostrorum, longè magis gloriamur titulo Regis Christianissimi, & Filij primogeniti Matris nostræ Ecclesiæ Sanctæ, quàm ijs, quos communiter habent Principes alij & Monarchæ, viso in eadem Bulla, nihil esse contrarium libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, & juribus Regni nostri; & cupientes hac occasione signum certum dare nostræ pietatis erga DEUM

& gratitudinis pro tot beneficijs, quibus illi sumus obstricti: & devotionis nostræ erga Sanctissimum Patrem nostrum Papam: Hortamur Vos, & nihilominus injungimus, ut contentum in prædicta Bulla publicari, & executioni mandari curetis per omnes Archi-Episcopatus & Episcopatus, Regiones & Terras nobis subjectas. Mandamus insuper omnibus nostris Officialibus & subditis, quorum curæ erit, & qui per Vos, aut Promotores vestros requisiti fuerint, pro manutentione executionis præsentium, ut vos adjuvent, & vobis adsint, sine alia jussione nostra, quàm quæ præsentibus continetur. Nam sic placitum est. Datum Parisiis 4. Julij, anno 1653. Regni nostri XImo. Signatum, Ludovicus. Et inferius. De Mandato Regis de Lonenie.

RESCRIPTUM REGIUM, AD FACULTATEM Theologicam Universitatis Parisiensis.

De Mandato Regis.

Rescriptũ Regium ad Universitatis Theologos

CHari & Dilecti. Mittimus ad vos Constitutionem S. P. N. Papæ, quâ Sua Sanctitas declarat ac definit, quod est tenendum, & credendum super quinque Propositionibus, de quibus plurimæ contentiones extiterant, quasque illi magnus Regni hujus Episcoporum numerus obtulerat, instanter postulans examinari, & de singulis earum clarè distinctéque pronunciari. Et quoniam nostræ voluntatis est eandem Bullam probari, & nihil omnino, quod ipsi repugnet, doceri: Vos hortamur & præcipimus curare & efficere, ut in lectionibus Theologicis, & in Thesibus, quæ proponentur ad disputandum de articulis vel Theologicis vel Philosophicis, nullæ Propositiones afferantur vel doceantur, decisionibus eadem Bulla contrariæ. Dilectus & fidelis noster Consiliarius status Dominus Radonensis Episcopus voluntatem super his nostram distinctiùs nobis exponet, quod ejus prudentiæ commit-

ten-

tentes Vos tantum hortamur, ut quæ nostro nomine Vobis referet, integrâ fide accipiatis. Datum Parisiis, die, mensis Julij anni 1653. Signatum, Ludovicus. Et inferiùs. De Gvenegaud. Inscriptio exterior. Charis & Dilectis nostris Decano, & Doctoribus Facultatis Theologiæ Universitatis nostræ Parisiensis in Sorbona.

DECRETUM FACULTATIS SACRÆ THEOLogiæ Parisiensis.

QUibus, Constitutione inquam Pontificiâ & Rescriptô regiô per eundem Illustrissimum & Reverendissimum D. Redonensem Episcopum D. Henricum de „la Motte-Houdancourt, & ipsum doctissimum ejusdem Fa„cultatis Theologum, oblatis consessui Sorbonico, & dili„genter inspectis, censuit Facultas: Prædictam Constitutio„nem Innocentij X. Summi Pontificis recipiendam esse, atq; „inscribendam Tabulis Facultatis, ut ab omnibus tam Do„ctoribus, quàm Baccalaureis observetur, prohibuitq; insu„per eadem Facultas, ne quis Doctorum aut Baccalaureo„rum aliquam ex Propositionibus prædictâ Constitutione „damnatis doceat aut defendat. Factum illud Decretum Ka„lendis Augusti: mox Kalendis Septembris aliô confirmatum „est, ut siquis deinceps aliquam ex Propositionibus illâ Inno„centij X. Summi Pontificis Constitutione condemnatis de„fendat, ex Facultate excludatur, secundùm disciplinam e„jusdem Facultatis, si contumax reperiatur. *Decretum Facultatis Theologicæ.*

LITERÆ EPISCOPORUM GALLIÆ, Ad INNOCENTIUM X.

B*Eatissime Pater.* Optata pervenit ad nos tandem Constitutio illa, quâ Vestræ Sanctitatis Authoritate, quid *Literæ Episcoporum*

Galliæ, ad Innocentium X.

„tiendum sit de controversis quinque Propositionibus, quæ „sunt excerptæ è Cornelij Jansenij Iprensis Episcopi li- „bris, perspicuè decernitur. Excitatæ in Belgio contenti- „ones flagrabant etiam in Gallijs, & latissimum incendium „per universas Ecclesiæ partes ominabantur, ni pesti grassan- „ti, & certissimam perniciem allaturæ obstitisset, Beatitudi- „nis Vestræ in defessum studium & ex alto petita potestas, „quæ sola acerrimam illam animorum collisionem compesce- „re poterat. Agebatur de re magni momenti, de aditu scili- „cet ad salutem per necessaria Christianæ Gratiæ præsidia, „& humanæ voluntatis adjumentis illis excitatæ ac fotæ co- „natus liberos; atq; de divina Christi pietate, ac beneficen- „tia in universum genus humanum. Hujus doctrinæ lucem, „recentioris illius authoris disputationibus obscuratam, pri- „stino nitori restituit, juxta veterem fidei regulam, ex scri- „pturis & antiqua Patrum traditione, in Concilijs olim & „nuper Authoribus Summis Pontificibus constitutam, prola- „tum à Sanctitate Vestra postulantibus compluribus Gallia- „rum Episcopis, Decretum. Quo in negotio, illud observa- „tione dignum accidit, ut quemadmodum ad Episcoporum „Africæ relationem, Innocentius I. Pelagianam hæresim da- „mnavit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum consultati- „onem, hæresim ex adverso Pelagianæ oppositam, Innocen- „tius X. Authoritate sua proscripserit. Enimverò vetustæ il- „lius ætatis Ecclesia Catholica, solâ Cathedræ Petri com- „munione & Authoritate fulta, quæ in Decretali Epistola „Innocentij ad Africanos data ducebat, quamq; dein Zozi- „mi, altera ad universos Orbis Episcopos Epistola subsecuta „est, Pelagianæ hæresis damnationi absq; cunctatione sub- „scripsit. Perspectum enim habebat, non solùm ex Christi

Do-

„Domini nostri pollicitatione Petro factâ, sed etiam ex actis „priorum Pontificum & ex anathematismis adversùs Apollinarium & Macedonium, nondum ab ulla synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulò antea jactis, judicia pro „sancienda regula Fidei à Summis Pontificibus lata, super „Episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis „sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) „divina æquè ac summa per universam Ecclesiam Authoritate niti; cui Christiani omnes ex Officio ipsius quoq; mentis obsequium præstare teneantur. Eâ nos quoq; sententiâ „ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, authoritatem, debitâ observantiâ colentes, Constitutionem Divini Numinis instinctu, „à Beatitudine Vestra conditam, nobisq; traditam ab Illmo „Athenarum Archiepiscopo, Nuncio Apostolico, & promulgandam curabimus in Ecclesijs ac Diœcesibus nostris, atque „illius executionem apud fideles populos urgebimus. Neq; „verò pœnæ deerunt adversùs temerarios illius violatores, „quæ à jure hæreticis infliguntur, quibus juxta Constitutionis tenorem, & Breve Sanctitatis Vestræ nobis directum, „contumaces omnes, nullo conditionum vel statuum discrimine facto, perstringemus: præsertim cùm in Gallijs ad Episcopos in solidum isthæc cura pertineat, ubi nullos hæreticæ pravitatis Inquisitores constitui patitur mos antiqvus „ex jure communi profectus, sanè spondere possumus Beatitudini Vestræ, nihil fore, quod Decreto Apostolico, nostræq; in eo exequendo sollicitudini, moram afferre possit: „præcipuè cùm piissimus ac Christianissimus Rex noster, „cui Breve Apostolicum unà cum exemplo Constitutionis Illustrissimus Nuncius tradidit, interpellato quoq; Regiæ Maje-

,jestatis præsidio, nos ad illius Decreti executionem, Edicto ,suo ad nos dato pro ea, quam debet Ecclesiæ Constitutis ,tuitione constanter hortetur: Et Magistratibus universis, ,atq; cæteris sibi subditis tum ad vim arcendam, tum ad am- ,putandas, quæ fortè possent ab hæreseos reis excitari, de ,foro competenti cavillationes, præcipiat, quatenus illam o- ,mni studio & operâ juvent atq; tueantur. Quare, cùm Rex ,cœlestis hac in causâ fœderatum habeat Regem terrarum, ,(si fas ita loqui cum Syxto 3tio) Sanctitas Vestra per Petræ ,soliditatem, jam contusis veritatis hostium animis, securos ,ab omni externa perturbatione de nova hæresi triumphos ,aget. Porrò nos Innocentio X, cujus ore Petrus locutus ,est, ut Leoni I. acclamabat, quarta Synodus, hanc divinam ,lauream gratulati, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de ,Synodis Oeconomicis fieri solitum, Constitutionem istam ,ab eo editam lubentes ex animo reponemus; cui optatis- ,simam in longæva vita felicitatem adprecantur, qui sunt ,cum ea, quâ par est veneratione.

BEATISSIME PATER.

Devotissimi & addictissimi Sanctitatis Vestræ Filij, Cardinales, Archi-Episcopi, & Episcopi Galliæ, in Parisiensi urbe congregati. Anno 1653. die 15. Julij.

EXPOSITIO GALLICANORUM ANTISTITUM Parisijs Congregatorum, ad Summum Pontificem.

Super quinq; Propositionibus ab eo damnatis.

Expositio Antistitũ Galliæ.

BEatissime Pater. Post promulgatam ab universis Galliarum Episcopis Sanctitatis Vestræ Constitutionem, quâ quinq; Propositiones è libris Cornelij Jansenij Iprensis Episcopi excerptæ damnantur, nihil aliud expectandum ,videbatur præcipuè à Gallis, qui in Sede Apostolica colen- da

,da ſemper potiores fuerunt, quàm ut purâ & non fucatâ ,concordiâ in veræ Fidei unitatem omnium animi conſpira- ,rent. Sed diſſidiorum author tam ſingulare & pijs omnibus ,expetendum bonum Gallijs invidit: quodq; palàm obtinere ,non poterat, nempe ut à debita Sedi Apoſtolicæ reveren- ,tia, per apertum Conſtitutionis editæ contemptum rece- ,deretur, callidis molitionibus ad ſimplicium & incautorum ,mentes ſubvertendas, aggredi tentavit. Quare ad munus ,Epiſcopale pertinere putavimus, recens excitatas à Cleri- ,cis numero paucis contentiones, definitione noſtrâ compe- ,ſcere: quâ Conſtitutionis Apoſtolicæ integra executio, quæ ,vobis commiſſa eſt, adversùs alienas à vero illius ſenſu ex- ,poſitiones ſanciatur: Et vetere Fidei depoſito, cujus cuſto- ,dia Cathedræ Petri à Chriſto concredita eſt, partem adime- ,re tentant Decreti Apoſtolici majeſtatem ad fictas contro- ,verſias dirimendas turpiter dejiciendo. Quinq; etenim pro- ,poſitiones Decreto proſcriptas damnare ſe quoq; profiten- ,tur, ſed alio planè ſenſu, quàm qui à Janſenio traditus, & ,explicatus eſt, ad quem Propoſitiones illas nullatenus per- ,tinere conſtantiſſimè aſſerunt. Hâc arte reſtaurandis diſpu- ,tationibus ijdem ſibi locum apertum relinquere parant, & ,redivivæ litis prolixam materiam.

Quare ut his incommodis præverteretur, & Conſtitu- ,tioni Authoritas ſua conſtaret, atq; ſincera ejus executio ,ſequeretur: Nos in hac Urbe Pariſienſi Congregati per e- ,piſtolam Encyclicam, his literis adjunctam; Declaravimus ,Propoſitiones illas & opiniones eſſe, Cornelij Janſenij, & ,in ſenſu ejuſdem Janſenij à Sanctitate Veſtra damnatas di- ,ſertis & manifeſtis verbis. Quam enim Author ille, uſur- ,patione privatâ, novam doctrinam ſub ſpecie veteris indu-

,cebat, necessum fuit, ut Apostolica Sedes judicio lato ex
,publica & antiqua Ecclesiæ traditione refelleret; ne Chri-
,stianæ Fidei doctrina pravis ab illo Scriptore ad testimonia
,veterum Patrum, quos laudat adhibitis interpretationibus,
,obrueretur. Nihil quippe aliud egit Constitutione sua In-
,nocentius X, quàm ut Authoritatis suæ præsidiô antiquam
,fidem muniret, non dicendo nova, sed dicendo navè, jux-
,ta receptas in scholis Theologiæ locutiones, quibus Janse-
,nius quoq; utitur. Eo pacto Beatitudo Vestra liquidò ex-
,plicuit, atq; confirmavit regulam fidei de Gratia & Libero
,Arbitrio, quam ex parte priùs assertam adversùs Manichæ-
,os, quod attinet ad Arbitrij libertatem, postea Decessores
,Vestri Innocentius I. & Zozimus, cooperantibus Africa-
,norum Conciliorum literis, contra Pelagianos plenè con-
,stabiliverant: quamque deinde Cælestinus I. ac Concilium
,Arausicanum, juxta Capitula à Sede Apostolica transmissa,
,& superiori sæculo Tridentinum, sollicitè atque diligenter
,enucleatam definierant.

Quapropter & Constitutionem ordine Canonico latam
,atq; genuino in sensu intellectam, quem literæ istæ patefaci-
,unt devotissimo obsequio nos suscipere testamur. Præterea
,verò daturos operam profitemur, ne quis curæ nostræ sub-
,ditus, impunè contraria vestris definitionibus docere, scri-
,bere, aut loqui præsumat; pænis in Hæreticos à jure de-
,cretis, alioquin à nobis statim puniendus. Ex qua concordi
,omnium sententia subscriptionibus nostris firmata, Beatitu-
,do Vestra facile intelliget, nulli è Collegio nostro proposi-
,tum fuisse, ut aliquid dignitati Constitutionis adversum pro-
,ferret aut scriberet. Quinimò destinatum esse nobis, ple-
,nissimâ veneratione Sacram B. Petri Sedem, & Sanctitatem
Ve-

„Vestram colere: Cui prosperos & felices annos vovent,
„qui sunt cum ea, quâ par est reverentia.

BEATISSIME PATER *Sanctitatis Vestræ*

Devotissimi & addictissimi Filij, Cardinales, Archi-Episcopi, & Episcopi Galliæ, in Parisiensi urbe congregati.

EPISTOLA ENCYCLICA ANTISTITUM PARIsijs Congregatorum, ad omnes Galliæ Prælatos.

Super quinque Propositionibus ex libro Jansenij excerptis, & damnatis ab INNOCENTIO X. Papa.

Reverendissimis ac Religiosissimis DD. Archi-Episcopis, & Episcopis per Gallias Fratribus observandissimis, Cardinales, Archi-Episcopi, & Episcopi Parisijs agentes, salutem in Christo & felicitatem.

Encyclica Antistitũ Parisijs congregatorum, ad Prælatos Galliæ.

QUod B. quondam Augustino & alijs Concilij Carthaginensis & Milevitani Patribus, Magnis illis Divinæ Gratiæ Defensoribus, Assertoribusq; contigit, idem „nunc prorsus evenisse Nobis videtur. Sperabant illi, sed „frustra, post librum quendam, cujus author, scriptorq; fuerat „Pelagius ab Innocentio X. Papa anathematizatum & damna„tum, Pelagianos non ausuros ampliùs de Gratia illa, perver„sa & perniciosa sentiendo loquendoq; pectora fidelia, & sim„pliciter Christiana turbare, sed tanti Præsulis authoritati ces„suros. Et spes quoq; nobis erat homines eos, qui se Cor„nelij Jansenij Iprensis amatores sectatoresq; profitentur, „post ejus ab Innocentio X, anathematizatas & damnatas „quinq; opiniones, desituros tandem ab omni motu, atq; cum „suo ille decreto imperasset ventis, futuram in Ecclesia tran„quillitatem magnam.

Sed contra planè, quàm expectatum à nobis fuerat, acciditː

„cidit: mirariq; satis non possumus, post æquissimam Sanctissimamq; Constitutionem illam, quâ Beatissimus Pater Innocentius X prædictas quinq; Propositiones damnavit, & ijs quidem verbis, quibus nihil dici potest expressius, nihil clarius: Homines illos affirmare, imò & persvadere alijs velle res duas vanas omnino & inanes: alteram quinq; illas Propositiones non esse Jansenij: alteram, damnatas esse eo in sensu, qui ad Jansenium nihil pertineat. Potest enim quidquam esse absurdius, quàm tueri id velle, cui refellendo revincendoq;, nihil opus multis rationibus, nihil disquisitione etiam mediocri aut levi, sed solâ Pontificiæ Constitutionis, quæ per se ipsam rem totam apertè dirimit, lectione? Et quidem cum ejusmodi sint duæ res illæ, ut multis videri possint ipsæ per se & sponte sua ruituræ: atq; adeò spernendæ prorsus & negligendæ: nobis tamen, quibus compertum est, eas ignorantibus infirmisq; non paucis esse offendiculo, quibus pro muneris nostri ratione id præsertim incumbit, ut tollamus omnia scandala de Regno DEI, visum fuit, occurrendum esse huic malo, comprimendumq; maturè hoc virus, quod jam aliquos occupavit.

Quod ut fieret accuratiùs, & pro ea, qua par erat gravitate dignitateq;, quotquot in hac Urbe Regni primaria negotiorum Ecclesiasticorum causa fuimus, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, collecti in unum censuimus, hoc quidquid est rei, committendum esse curæ ac diligentiæ Illustrissimorum, Reverendissimorumq; Fratrum nostrorum Archiepiscoporum Turonensis, Ebrodunensis, Rothomagensis, Tolosani; & Episcoporum Edvensis, Montalbanensis, Redonensis, Carnotensis; sic tamen, ut quidquid inter se ipsi legissent, observassent, sensissent, referrent ad nos. Iis verò

,verò ex ipsa Constitutionis lectione, atq; insuper ex opere
,Janseniano, quod etiam ad quinq; illas Propositiones atti-
,net, studiosè legerunt expenderuntq; (quanquam sola per
,se ad id sufficiat Constitutio) manifestum & perspectum fu-
,it, illas quinq; Propositiones verè esse Jansenij & damnatas
,esse, in vero ac proprio verborum sensu, & eo planè, quo
,à Jansenio traduntur, & explicantur. Atq; cùm id ipsi ad
,nos scilicet in unum rursus congregatos retulissent,& à no-
,bis quoq; idem cognitum & exploratum fuisset, Declaravi-
,mus, & hoc nostrô judiciô declaramus, rem planè ita se
,habere & nullum dubitandi esse locum. Quare & eos, qui
,quinq; illas Propositiones tuentur & probant, verè esse ex
,eorum numero, quos Innocentius X. sua illa in Constitu-
,tione vocat contradictores & rebelles; & quos vult à Pa-
,triarchis, Archi-Episcopis & Episcopis, per Censuras & pœ-
,nas contra hæreticos & eorum fautores in jure expressas,
,cæteraq; juris & facti remedia opportuna, invocato etiam
,ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, omnino
,coërceri & compesci. Id verò nos omnes, quantùm in No-
,bis quidem erit,effecturi sumus, rogamusque, quotquot hic
,absunt, Gallicani Cleri dilectissimos & Religiosissimos Fra-
,tres Nostros, ut idem quoque pro virili præstent, ut sic
,idem omnes sentiamus secundùm JESUM CHristum: &
,unanimes uno ore honorificemus DEUM & Patrem Do-
,mini Nostri JESU CHristi, ædificemus Ecclesiam DEI,
,atq; adeò nos ipsos, & eos, qui Nos audiunt, curæque
,nostræ sunt ab ipso commissi, salvos faciamus.



TRACTATUS PRIMI PARS II.

Admirandè erroneæ Jansenij Propositiones contra Scientiam Mediam convelluntur.

Jansenius & Jansenistæ infensi Religiosis, præcipuè tamen Patribus Societatis.

JAnsenius, & ejus præcipui Asseclæ, cunctis Religiosorum Ordinibus, præsertim verò Minimæ Nostræ Societati, quantùm infensi fuerint, ex eorum Propositionibus virulentis, quarum aliquas (innumeris alijs prætermissis) hîc innuo, abundè constare potest. Joannes Vergerius, Bajonæ urbis Canonicus, postea Abbas Saneyranus, secundus Jansenistarum Patriarcha, Jansenij Achates fidissimus, in colloquio cum Jansenio (cui se interfuisse testatur Prænobilis D. de Rasilly) cùm diceret: *Impediendum omninò est, ne templa Religiosorum, tam multùm frequententur. Hunc in finem Praxis administrandorum Sacramentorum adhibenda est opposita communi Praxi Ecclesiæ hodiernæ.* Respondit Jansenius: *Non tamen statim apertè omnes simul Religiosi impugnandi sunt, sed initium ducendum à Jesuitis.* Idem Jansenius in manuscripto authentico Codice, propriâ Jansenij manu exarato, qui asservatur Lovanij habet hæc: *Monachi, post Magistrum sententiarum corruperunt Theologiam Scholasticam. Otiô, quô abundant, malè utuntur: satiùs se impenderent operibus manualibus, ut veteres olim Monachi, relicto docendi munere Episcopis.* Idem, tomo 1. de hæresi Pelag. cap: 9 & alibi passim, *Scientiam Mediam, à Jesuitis assertam,* vocat *hæresim Semipelagianorum, in Veteres Pontifices & antiquam Ecclesiam*; idq; sibi certò constare. Petrus de Ligny famosus Jansenista, in exili-

exilium miſſus Duaco propter Janſeniſmum, in epiſtola ad Epiſcopum, ſcribit: *Scapulare, Roſarium, Zona, & aliæ ejuſmodi devotiones populares, & Confraternitates, tantùm ſunt devotiones mimicæ, quibus Monachi plebem faſcinant, & detinent in prava peccandi conſvetudine. Ingens præſtaret obſequium Eccleſiæ, qui aboleret ejuſmodi devotiones phantaſticas, quæ plùs ludicri & hiſtrionici luſûs habent, & cultûs ſemi-Judaici, quàm ſolidæ pietatis. Monachi ſopiunt plebem, & eam retinent in malis conſvetudinibus offendendi DEUM, promittendo impunitatem peccatorum, & indulgentias in hora mortis. Monachi fingunt indulgentias annexas eſſe ceremonijs quibuſdam ſemi-Judaicis, imò hiſtrionicis ineptis, ut ſunt, Scapulare, Roſarium, Funiculus, & Confraternitates.* Idem Petrus de Ligny in epiſtola ſua: *Perſuaſum habeo, Janſenium Epiſcopum Iprenſem iniquè damnatum fuiſſe Romæ, per factionem Molinianam Jeſuiticam. Evertendus eſt iniquitatis Coloſſus, quem Moliniſtæ Jeſuitæ exſtruxerunt, tot calumnijs & impoſturis, poſtquam famoſus Molina cæpit impietates ſuas quoad JEſu Chriſti gratiam diſſeminare.*

F. Eugenius de Gelder, Propugnator acerrimus hæreſis Janſenianæ, in libro ſuo, cui titulus: *Ultima Vox zelatricis innocentiæ*, paginâ 5ta, 9na & 109na, & 110ma ſcripſit: *Jeſuitæ fabricant ſuper incude infernali Moralem, corruptiorem quâlibet peſſimâ Philoſophorum Ethnicorum, imò ipſo Alcorano impuriorem, deſtruentem penitùs ipſam legem Moſaicam, & Evangelium. Doctrina Moliniſtica Jeſuitica, in fundo rei, non differt, niſi aliquibus vocum novitatibus, à Pelagiana & Semipelagiana.* Idem paſſim ſcripsêre & aliæ Janſeniſtæ. Maſſilianiſmi ſeu Semipelagianiſmi, Janſenius etiam tomo 1mo. de hæreſi Pelagiana cap. 9no, iniquè arguit ſententiam de Gratia efficaci, Scientiæ Mediæ innixa, quam dicit eſſe Maſſilienſium hæreſim, nec eſſe Gratiæ prædicationem, ſed proditionem, injurioſum item dogma in S. Auguſtinum, veteres Pontifices, & antiquam Eccleſiam. Quid verò Janſenius idem, cum ſuis Janſeniſtis, in particulari de doctiſſimis Thomiſtis ſentiat, & illorum ſententia, qui efficaciam Gratiæ in prædeterminatione phyſica conſiſtere opinantur, quid inquam ſentiat, vide in Tractatu ſecundo, capite octavo.

Recenſitas ſuprà, Janſenij & Janſeniſtarum Propoſitiones virulentas, à Veritatis tramite longiſſimè aberrantes, ſtylô ſapientiſſimo-

rum

rum Virorum toties confixas, refellere omnes in præsentiarum, mihi non est animus. Quia tamen in hoc amplissimo & potentissimo Poloniarum Regno, aliqui fortè (utinam solùm fortè, & non certò) reperiuntur etiam ex Orthodoxis, qui potiùs ex quadam ignorantia, aut ex defectu perfectæ saltem notitiæ, præveniente partialiter ex non abundantia hîc nostrorum Theologicorum librorum alibi impressorum, ut credo, quàm ex malitia & nocendi studio, Scientiam Mediam cum Jansenistis, Semipelagianismi erroris insimulare non verentur, ideò in hac parte, Tractatûs Imi, demonstrandum assumo. *Imo.* Scientiam Mediam, quam SOCIETAS Nostra propugnat, non esse errorem Semipelagianorum. *2dò.* Nec esse dogma injuriosum in S. Augustinum. *3tiò.* Nec esse injuriosum in veteres Pontifices & antiquam Ecclesiam. *4tò.* Jansenium fuisse injuriosum in Divum Augustinum, veteres Patres ac Pontifices Summos Ecclesiæ, nec non in Doctorem Angelicum, subtilem Scotum, & Theologos doctissimos.

CAPUT I.

ASsero Imò. Admirandè erronea est Propositio Jansenij hæc: Ponere in DEO Scientiam Mediam, est Semipelagianorum, idque est omnino certum.

Hæc Propositio est desumpta ex tomo Imo Jansenij de hæresi Pelag. capite 9no & alibi. Idem etiam antea objiciebat Nostris Professoribus Theologiæ Lovaniensibus Michaël Bajus, à quo & alias plurimas venenatas Propositiones suxit Jansenius, ut evidens est ex cap: 4to. hujus secundæ Partis.

Jansenius injussit antea notam Semipelagianismi, Orthodoxis sententijs.

PRæmitto Imò. Jansenius, qui ausus est appingere (ut vidimus supra) falsò, notam hæresis Semipelagianorum, Orthodoxis sententijs de morte Christi pro omnibus suscepta, & de Gratia, cui possit humana voluntas obsistere vel obtemperare, idem etiam eandem notam inurere Scientiæ Mediæ Assertoribus, indefessis Jansenianæ hæresis eversoribus, veritus non est.

Præmitto 2dò. Nomine Scientiæ Mediæ, ab Univerſa Societatis Schola, intelligitur Scientia in DEO liberorum conditionatè futurorum, independens à Decreto ſubjectivè abſoluto, antecedente liberarum rerum determinationem, inevitabili & inimpedibili à nobis, ac eſſentialiter connexo, cum una parte contradictionis. His præmiſſis.

Quid nomine Scientiæ Mediæ intelligitur?

Probatur Aſſertio. Illa Scientia nonniſi admirandè erroneè dicitur eſſe hæreſis Semipelagianorum, quæ ab illa ſcientia, quam Semipelagiani admiſerunt, evidenter & eſſentialiter differt objectô, uſu, & fine. Sed Scientia Media à Schola Societatis aſſerta, ab illa ſcientia, quam Semipelagiani admiſerunt, evidenter & eſſentialiter differt objectô, uſu, & fine. Ergo admirandè erroneè aſſeritur Scientia Media, eſſe hæreſis Semipelagianorum: proinde meritò admirandè erronea cenſendi eſt dicta Propoſitio Janſenij. Major per ſe eſt clara. Minor etiam patet. Quia Scientiæ Mediæ à nobis aſſertæ objectum ſunt opera noſtra ſalutaria, libera, conditionatè futura, profectura ex ſupernaturali intrinſecè gratia. Uſus item Scientiæ Mediæ eſt, tum ad directionem Decreti Divini, ſive prædefinitivi, ſive permiſſivi, ſalvâ libertate noſtræ voluntatis: tum ad hoc, ut oſtendamus efficacis gratiæ infallibilem connexionem cum operatione ſalutari, conſiſtere ſimul cum libertate ejuſdem operationis. Semipelagianæ autem ſcientiæ objectum ſunt opera noſtra libera ſalutaria, conditionatè futura, profectura ex ſolis viribus naturæ immediatè (ſi ſermo ſit de primis, à quibus ſumit initium juſtificatio: vel mediatè, ſi ſermo ſit de actibus ſeu operibus ſubſequentibus jam juſtificationem factam, profectis quidem ex Gratia, talibus tamen, quæ conſecuta erant ad juſtificationem factam ex ſolis naturæ viribus. Utebantur item Semipelagiani ſcientiâ conditionatorum ad hoc, ut oſtenderent puniri & præmiari homines propter mala & bona opera etiam purè ſub conditione futura, licèt nunquam abſolutè extitura: ut patet ex dictis ſuprà.

Scientia Media, à ſcientia, quam adſtruebant Semipelagiani, differt eſſentialiter ac evidenter objecto, uſu, & fine.

Quod utrumque ut verè in Fide erroneum, Aſſertores omnes Scientiæ Mediæ execrantur cum S. Auguſtino & Eccleſia, dicuntq; cum S Proſpero in epiſtola ad S. Auguſtinum, Scientiam illam Semipelagianam uſumq; ipſius *eſſe novum abſurditatis genus.* Ex quo ulte-

ulterius habetur, Scientiam Mediam à Semipelagianorum Scientia, differre, esseq; illi oppositam: licèt convenire secum in Generico Scientiæ prædicato videantur. Sicut homo & brutum differunt specie, & opponuntur sibi, etiamsi conveniant in prædicato animalis.

Quinam admittunt Scientiam Mediam?

Confirmatur imò Assertio. Nostrane Scientia Media, absq; errore gravissimo potest censeri esse certò Semipelagiana hæresis, quæ à Summis Pontificibus Romanis, Sixto V, Clemente VIII, Paulo V, ab omnibus censuris, quibus à suis hostibus fuerat temerè confixa, declarata est immunis, & in omnibus Universitatibus totius orbis doceri permissa: quod utiq; non foret permissum, si esset certò hæresis Semipelagiana ?. Quam è Patribus Tridentini Concilij, quatuor Infulati Præsules, & septem alij Viri doctissimi tenuerunt, eamq; ut prædicto Concilio maximè conformem, strenuè propugnârunt. Quam in celeberrimis orbis Academijs, Parisiensi, Salmanticensi, Valentina, Conimbricensi, Complutensi, Toletana, Hispalensi, Cæsar-Augustana, Vallisoletana, Granatensi, Saguntina, Pinciana, Coloniensi, Herbipolensi, Moguntina, Ingolstadiensi, Dilingana, Viennensi, Græcensi, Trevirensi, Mussipontana, &c: libris etiam impressis clarissimi professi sunt Doctores. Quam ex omni Ordine, Benedictino, Cisterciensi, Augustiniano, Carmelitano, Trinitario, Minorum, &c: plurimi item amplexi sunt Viri sapientissimi, & Doctores extranei supra ducenti. Nuper item, nempe Anno 1712, Romæ ad S. Agatham, RR. PP. Cistercienses publicè cum insigni plausu defenderunt Scientiam Mediam, suas Conclusiones dedicando Eminentissimo Cardinali Paulutio. Quam tota S. Benedicti per Hispaniam Sacra Familia, plurimùm deprædicat, ut consonam Fidei Catholicæ & menti sui S. Doctoris Anselmi, ut constat ex literis RR. PP. Bernardinorum Collegij S. Vincentij Salmanticæ, ad Ordinis sui Procuratorem Generalem Romæ commorantem, literis inquam datis Anno 1600 31. Julij, quas vide in Historia Controversiarum de Gratiæ auxilijs lib. 2. cap. 11. Auctore Theodoro Eleutherio. Quam sententiam de Scientia Media ut valdè utilem & conformem scripturæ sacræ, Concilijs, & SS. Patribus approbarunt tria sanctæ Generalis inquisitionis Tribunalia in Regnis Lusitaniæ, Castellæ, & Arragoniæ. Natalis etiam Alexander, Ordinis S. Dominici Theologus,

gus, ad sæculum 5tum. cap. 3. art: 8. scripsit: *Cavendum, ne Theologis, qui Scientiam Mediam propugnant, Semipelagiani erroris nota inuratur, quod imprudenter & temerè novi quidam Auctores fecerunt, vel Semipelagianorum Dogmatum ignari, vel studio partium in transversum acti.* De qua Illustrissimus Franciscus Belcarius Episcopus Metensis, qui Tridentino Concilio interfuit, libris contra Calvinum editis clarus, pronuntiat: *Ex solis scriptis eorum, qui ad Tridentinum convenerunt, plurima arma suppeditantur ad Scientiam Mediam optimè stabiliendam.* Et Ferdinandus Bastida coram Clemente VIII. dicit: *Tanta est Scientiæ Mediæ cum definitione Tridentina, conjunctio, vel ut melius dicam, identitas, ut non nisi eisdem telis impeti, iisdem argumentis oppugnari possit.*

Dari in DEo Scientiam Mediam, probatur ex Scriptura

Confirmatur 2dò Assertio. Quia in DEO esse scientiam liberorum conditionatè futurorum, certum est *imo* ex Scriptura. Davidi enim quærenti 1mo Regum 23. An eum Sauli tradituri essent Ceilitæ? revelavit DEUS, respondendo: *tradent.* Utiq; sub conditione, si Ceilæ se detineret, quæ traditio non est subsecuta, utpote, quia conditio non fuit purificata. Matthæi 11. Christus Dominus clarè etiam revelavit veritatem liberi conditionatè futuri, scilicet futuram pænitentiam Tyriorum & Sidoniorum, si apud eos patrâsset miracula talia, qualia fecit apud Corozaitas, & Bethsaitas. *Væ tibi* inquit *Corozain, væ tibi Bethsaida* (erant hæ duæ Urbes Galileæ) *quia si in Tyro & Sidone,* erant Gentilium Urbes in vicina Palæstinæ Phoenicia) *factæ fuissent virtutes* (id est signa & miracula) *quæ facta sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pænitentiam egissent:* Subintellige, accedente ad signa externa, internâ DEI Gratia. Similia habentur testimonia in alijs Scripturæ Sacræ diversis locis quindecim, ut Genesis primo. Quarto Regum 13. Sapientiæ 4to Jeremiæ 38. Ezechielis 33. & alibi. Certum *2do* ex Sanctis Patribus, ut constat infra ex cap. 2. & 3tio. Certum *3tio.* id est ex Ratione. Tum, quia certò & infallibiliter scire libera conditionatè futura, est perfectio simpliciter simplex: melius enim est illa sic scire, quàm conjecturaliter vel penitus ignorare. Tum, quia actus nostri liberi conditionatè futuri habent determinatam veritatem, non minùs, ac futuri absolutè: æquè enim Propositiones de conditionatè futuris acceptæ non in sensu illativo, sed in assertivo (uti defacto hic accipiuntur in sensu asserti-

& Ratione.

vo, prout scilicet præcisè affirmant & negant concomitantiam conditionati ad positionem conditionis, quæ sit possibilis non necessariò connexa cum objecto, aliquomodo tamen conducens ad existentiam illius objecti) sunt contradictoriæ hæ: *Si Petrus vocabitur, convertetur. Si Petrus vocabitur, non convertetur.* Atq; sunt contradictoriæ istæ. *Petrus convertetur, Petrus non convertetur.* Jam autem ex omnibus contradictorijs Propositionibus, una debet habere determinatam veritatem; cùm nequeant ambæ simul esse sive veræ, sive falsæ; proindè certò cognoscuntur à DEO. Quâ ipsâ ratione ad probandam dari in DEO scientiam conditionatorum usus est sapientissimus Idiota, Abbas, Collensis Ordinis Canonicorum Regularium, dum in Tractatu de oculo mystico, cap. 15. trecentis ferè annis ante exortam controversiam de Scientia Media, scripsit hæc: *Nec tantùm oculus DEI, ea præspicit, quæ aliquando erunt, sed etiam quæ re ipsa non erunt, essent tamen, si aliquid aliud poneretur: sic enim Davide rogante, an si ipse in Ceila maneret, & Saul eò veniret, Ceilitæ essent eum tradituri, respondit: Tradent. Tam ergo perspicax est Divinus oculus, ut rem, quæ futura non erat, esset tamen futura, si David ibi mansisset, & Saul eò venisset, præcognoverit, perinde ac si absolutè futura fuisset: nimirum illud, quod fieret, aut non fieret, si conditio aliqua poneretur, est aliquid verùm determinatè: Non enim utrumq; contradictorium aut neutrum, sed alterum duntaxat, verè tunc accideret. Cùm igitur oculus Divinus perspiciat omne verum, non potest DEUS hoc ignorare.*

Quod autem illa Scientia liberorum conditionatè futurorum sit independens à Decreto subjectivè absolutò, antecedente, inevitabili & inimpedibili à nobis. Probatur. Tum, quia nulla est necessitas Decreti ejusmodi: Scriptura item Sacra, & Patres, agendo de hac Scientia Divina, nullum indicium faciunt talis Decreti: imò supponunt contrarium: supponunt enim, nos esse liberos in volendo & operando; tolleretur autem libertas, positô illo Decretô, utpote, cùm sit antecedens, inevitabile, & inimpedibile à nobis, necessariò inferens actum nostrum: cui autem non est liberum antecedens, illi nec est liberum consequens. Tum, quia aliàs, vana fuisset & ridicula illa exprobratio: *Væ tibi Corozain, &c.* potuissent enim justissimè opponere Corozaitæ; frustra se increpari, siquidem destituti sunt

Decre-

Decretô illo essentialiter connexo cum conversione sui, quod Decretum habere, nullatenus erat in illorum potestate, converti autem sine illo fuit impossibile. Econtra, Tyri & Sidonis conversionem antecessit Decretum, quo posito, non poterat non sequi conversio, si ex parte objecti purificata fuisset conditio. Tum, quia per paritatem rationis, (voluntas enim humana æquè est indifferens ad actus inhonestos, uti ad honestos) deberet admitti tale Decretum etiam ad actus peccaminosos. Hoc autem repugnat essentialiter Bonitati & Sanctitati Divinæ: si enim, ut certum est, repugnat Sanctitati Divinæ, ut DEUS homini det Consilium ad actus peccaminosos, verbi gratiâ, ad actum desperationis, infidelitatis: licèt positô illô Consiliô, homo maneret liber ad illos actus eliciendos. Quidni multò magis repugnat eidem Sanctitati illud Decretum, utpote faciens inevitabiliter hominem patrare illos actus peccaminosos? DEUS quidem, in Sententia ferè omnium, concurrit etiam ad actum hominis peccaminosum, ast juxta Sententiam Societatis, concurrît, offerendo indifferenter concursum, quô voluntas humana potest uti ad bonum, vel ad malum, vitio autem ipsius voluntatis, convertitur ad malum.

De hac Media Scientia, quam cum Scriptura Sacra & Patribus asserit dari in DEO Societas, sapientissimus Malderus, Theologus Lovaniensis, ac Episcopus Antverpiensis 1. 2. q. 3. art. 3. dubio 10. membro 8. ait: *Secundùm Scientiam Mediam, omnia, quæ Scripturæ Sacræ & Patres, præsertim Divus Augustinus de Gratia efficaci dixerunt, rectè explicantur, & alius modus hactenus repertus non est, quo æquè explicari queat Concordia Gratiæ & liberi arbitrij.*

Magnorū & Sapientissimorū Theologorum sensq de Scientia Media

Ferdinandus Martinez Mascarennas, Algarbiorum Episcopus, & supremus Inquisitor in Regnis Lusitaniæ, Tractatu de auxilijs, disp: 3. par: 4. inquit: *Scientia Media necessaria est ad percipiendam Concordiam Gratiæ cum libero arbitrio: ad conciliandum inter se Patrum dicta: ad intelligendum distinctionem Gratiæ insufficientem & efficacem: ad demonstrandam infallibilitatem Divinæ Prædestinationis, & alia hujusmodi in Theologia valdè intricata.* Similia ferè doctissimus hic Præsul repetit in eodem Tractatu disp: 2. par: 4.

Franciscus Diotallerius, Episcopus S. Angeli, in Procemio eruditissimi Opusculi de Scientia conditionata, ait: *Tam eximius est hu-*

jus Scientiæ in Theologica facultate usus, ut quæstiones alioqui obscurissimæ, atq; inextricabiles, ejus beneficiô apertissimè & planissimè explicentur.

Alphonsus de Mendoza, Augustinianus & Salmaticensis, magni Nominis Professor q. 7. Scholastica, Conclusione 3tia dicit: *Qui hanc Scientiam inficiantur, plurimùm derogant Thesauris sapientiæ, & scientiæ DEI- sanè imperfecto modô & quasi hallucinando & attentando procederet DEUS, si non præsciret, quòd cum tali Gratiæ vocatione, cum tali auxilio, voluntas humana sic vel sic afficeretur ad operandum:ècontra verò, suavissimè & efficacissimè procedit, si per Divinam illam Scientiam conditionatam, quasi manuducatur ad disponenda humana negotia.*

Insignis Theologus, Daniel à S. Josepho, Carmelita Calceatus tomo 1. disputationum in S. Thomam disp. 24. ait: *De hominum salute, quæ tota Divinæ Gratiæ adjumentis liberóq; arbitriô nititur, malè merentur ij, qui conditionatam à DEO Scientiam rejiciunt: pejùs, qui eam agnoscere coacti, absoluto præfinientiq; Decreto subjectam volunt: pessimè, qui apud Theologicarum rerum indoctos, aut certè non satis peritos, maledictis suis in invidiam trahunt. De quibus ego sic censeo, eos in ista controversia, vel partis utriusque momenta, non planè assequi: vel opinioni magis, quàm veritati servire. Contra verò plurimùm Rempublicam debere Christianam ijs, qui Conditionalem Scientiam absoluto DEI Decretô priorem, sacris ex literis, Patrumq; ac Divi Thomæ monumentis, in quibus delitescebat, in lucem Theologiæ vocaverint: quodq; modo liberam Creaturæ Voluntatem cum DEI scientia & auxilijs conciliet, atq; ita de Vicleffi, Lutheri, Calvini erroribus triumphet, magno Christiani orbis bono ostenderint.* Idem de Scientia Media, ejusq; usu pro explicanda efficacia Gratiæ, salvâ libertate creatâ, sentiunt Philippus Gamachæus, Professor Regius Sorbonius 1. 2. q. 111. cap: 6. Alexander Pezantius ad q. 14. par. 1. disp. 5. Gabriel Pennotus, lib. 3. c 30. Bellarminus Cardinalis, Stapletonus, & ex quovis Ordine plurimi sapientiâ & pietate celeberrimi, quos vide apud Paulum Leonardi, Gabrielem de Henao, & alios.

Coronidis loco, appono verba & sensum magni Francisci Suarez, is tomo 1. de Gratia, Prolegomeno 2do, de Scientia conditionata cap. 1. ait: *Probra & convicia, quibus in hanc invehuntur Scientiam, simul cum infamatione illius de Pelagianismo & Massiliensium erroribus, unum est ex potissimis fundamentis ipsorum, & hunc ipsi judicant esse potentio-*

rem

rem modum sententiam suam persuadendi- nostra Sententia in auctoritate Theologorum non solùm recentiorum, sed etiam antiquorum Scholasticorum, longè contrariam superat; quare nullus potest illam Novam vocare, nisi qui vel antiquos non legerit, aut de nominibus, voluerit disputare potiùs, quàm de rebus. Et lib. 2. de Scientia conditionata futurorum contingentium cap. 3. inquit: *Bellarminus & alij moderni, qui de libero arbitrio scribunt contra hæreticos hujus temporis, hâc Scientiâ maximè utuntur, ad declarandam Concordiam Gratiæ efficacis cum libero arbitrio. Scriptores etiam in 1. par. Divi Thomæ frequentiùs hanc Sententiam sequuntur: & quidam, contrariam parùm tutam, alij errorem ferè appellant: Deniqꝫ Doctores ferè omnes hujus temporis, quos ego in Hispania & Italia consului, huic Sententiæ adhærent.*

Ad meliorem intelligentiam dictorum, & solutionem objectionum in contra.

NOta Imò. Illud certò & infallibiliter cognosci à DEO, quod revelat. Ratio est Quia aliàs Actus Fidei innixus revelationi Divinæ posset esse falsus, adeoq; periclitarentur de Veritate omnes Fidei nostræ Articuli. Licèt verò aliquando revelationi Divinæ apponatur particula *fortè* vel *fortassis*; ut *fortè pœnitentiam egissent*: sicut est in Græco textu Matthæi 11. tamen certum est, quòd illa particula non significet dubitationem aliquam, sed vel indicat libertatem arbitrij humani, ut vult S. Hieronymus in cap. 25. Jeremiæ, dicens: *Verbum ambiguum, forsitan, Majestati Divinæ non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominis servet arbitrium.* Et Remigius apud S. Thomam in Catena ait: *Ideò Dominus, qui omnia novit, in hoc loco verbum dubitantium posuit, scilicet, fortè, ut demonstraret, quia liberum arbitrium concessum est hominibus.* Vel indicat increpationem, juxta illud S. Augustini tractatu 37. in Joannem: *Ille, qui omnia scit, quando dicit, forsitan, non dubitat, sed increpat. Non opinatur Divinitas.* Vel accipitur (ut exponunt Lyranus, Cajetanus, Salmeron, Maldonatus, & alij plurimi) pro *certè*. *Utiqꝫ* vel pro *olim*: in diversis siquidem versionibus Scripturæ, ex his particulis, una pro altera plerumq; ponitur.

Vox hæc, fortè in Scriptura, quid multoties significat?

Nota 2dò. Quòd S. David non interrogabat DEUM de Saulis inclinatione, & dispositione ad descensum Ceilam pro se capiendo:

David, de quonam

interrogabat DEum? do: hanc enim sciverat dari ex nuntijs, & ex animo Saulis, ad omnem occasionem sui capiendi intento: Verùm interrogabat de ipso descensu, & de traditione sui à Ceilanis, ut evidenter in editione vulgata textus sacer sonat, clarissimèq; S. Hieronymus Tomo 3tio in traditionibus Hæbraicis circa librum 1mum Regum cap. 23. sic exponit: *Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus, & si descendit Saul & ait Dominus: Descendet. Ac si diceret: Si hic steteris, descendet. Et quod ait: Si tradent me viri Ceilæ: & Dominus ait: Tradent. Iste est sensus: si descenderit Saul, & hic te invenerit, Tradent.* Unde meritò rejicienda est Paraphrasis Chaldaica, quæ loco, *Descendet*, habet: *Cogitat descendere:* & locò *Tradent*, habet: *Cogitat tradere.* Præsertim, quia ut sapienter monuit Cardinalis Franciscus Ximenius, in Præfatione Complutensium Bibliorum: *Chaldaicæ Paraphrases, (si excipias eam, quæ est in Pentateuchum) Judaicis fabulis, & Talmudistarum nugis sunt conspersæ.* Christus etiam non exprobravit Corozaitis solùm non inclinationem ad pœnitentiam (talis enim non inclinatio, potest non esse peccaminosa, imò esse occasio majoris meriti, si eam superemus) sed ipsam impœnitentiam: ita etiam ad eos confundendos, non Tyriorum inclinationem ad pœnitentiam, verùm ipsam pœnitentiam futuram, si factæ fuissent virtutes apud illos, prædixit. Quod ipsum docent Sancti Patres, citati ab Interpretibus Scripturæ.

DEUS cognoscit quæcunq; futura libera conditionata. Nota 3tiò. A DEO cognosci quæcunq; futura libera conditionata, cùm sit omniscius, repugnetq; Sapientiæ Divinæ, ut interroganti: quidnam certò futurum esset, sub hac vel illa conditione possibili, respondeat per verbum, *Nescio.* Et certè, si ad perfectionem Omnisapientiæ Divinæ pertinet, cognoscere aliqua conditionatè futura, nempe revelata in Scripturis, aut pertinentia aliquomodo ad hoc universum, juxta præsentem DEI Providentiam: ad eandem perfectionem æquali jure pertinet, cognoscere alia quæcunq; libera conditionatè futura, dependentia à quacunq; creatura possibili rationali: ne admittatur in DEO ignorantia alicujus futuri conditionati.

Scientia illa, cur nam appellanda sit Media? Nota 4tò. Tota Schola Societatis Theologica, & plurimæ Academiæ, Doctoresq; extranei conveniunt in hoc, quòd DEUS certò infallibiliter cognoscat libera futura conditionatè, & quòd illa non cognoscat in Decreto absoluto subjectivè, & conditionato obje-

ctivè

ctivè inimpedibili à libertate creata: inq; his duobus, in quibus conveniunt, tota consistit essentia Scientiæ Mediæ. Disconveniunt tamen aliqui nostri Theologi in eò: An talis Scientia, dicenda sit Media: scilicet, Media inter Scientiam Divinam, quæ á Theologis dicitur Scientia simplicis intelligentiæ, & inter Scientiam, quæ nominatur, Scientia Visionis. Ast hæc dissensio, vocum est & non rerum, inventaq; est vox hæc ad majorem explicationem. Porro communissimus est sensus nostrorum Theologorum rectè dici Mediam inter prædictas duas Scientias strictè sumptas. Nempe sumendo Scientiam simplicem, pro ea, quæ versatur circa purè possibilia: & Scientiam Visionis pro ea, quæ versatur circa absolutè existentia, sic enim est Media: Tum ratione objecti sui, circa quod versatur, quod scilicet medium est inter objecta Scientiæ simplicis & Visionis, tum, quoad ordinem prioris & posterioris inter actus Divinæ Scientiæ: quia Scientia simplicis intelligentiæ est prior Scientiâ conditionatorum: & Scientia Visionis est posterior Scientiâ Conditionatorum ex modo concipiendi. Tum quia ab utraq; participat aliquid, & aliquid non. Cum Scientia enim simplicis intelligentiæ convenit in hoc, quòd non dependeat à Decreto absoluto: Disconvenit verò, quia Scientia simplex, simpliciter est necessària DEO, ita ut non potuerit non esse in DEO, secus Scientia Conditionatorum. Nam hæc determinatè Scientia conditionata, verbi gratia, de conversione Tyriorum, potuit non fuisse in DEO, sed opposita, puta de negatione conversionis. Cum Scientia verò Visionis convenit in hoc, quòd hæc potuerit non esse in DEO, sicut & hæc Scientia conditionata: Disconvenit autem, quia non dependet à Decreto absolutè existente, seu non est formaliter libera DEO, sicut ècontra est libera formaliter DEO Scientia Visionis. Pater Molina primus Nomenclator erat (hoc enim eam nomine insignivit) Scientiæ Mediæ, primusq; eam prælo dedit, Anno 1589 in suo libro de Concordia Gratiæ Divinæ cum libero arbitrio: isque liber est primus in Theologia Scholastica, á Nostris editus.

CAPUT II.

ASsero 2dò. Sententia docens dari in DEO Scientiam Mediam, non est Dogma injuriosum in Sanctum Augustinum.

à S. Augustino teneri Scientiam Mediam, multipliciter probatur.

PRobatur Imò. Ideo Sententia illa esset dogma injuriosum in S. Augustinum, quia, ut vult Jansenius & ejus Patroni, sententia admittens Scientiam Mediam est hæresis Semipelagianorum, atq; difformis menti S Augustini. Sed Sententia illa non est hæresis Semipelagianorū, ut constat ex cap superiori: neq; est difformis menti Divi Doctoris, ut satis clarum est, Tum ex facili responsione ad ea, quæ opponuntur ex S. Augustino in Notatis infra dandis contenta; tum, quia plurimi sunt textus hujus S. Patris pro nostra Sententia, nam lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 8. ait: *Respondeant, si possunt, cur illos DEUS, cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, utrum id in potestate non habuit, aut mala eorum nescivit? Nempe nihil horum, nisi perversissimè & insulsissimè dicatur.* Supponit ergò S. Doctor in DEO dari Scientiam liberorum conditionatè futurorum.

Lib. de dono Perseverautiæ cap. 9: *Certè poterat illos* (puta justos non perseverantes) *DEUS præsciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita. Numquid dicere possumus Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis, credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent: cùm eis ipse Dominus attestetur, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent Divinarum illa signa virtutum: & tamen in die Judicij punientur, quanquam minori supplicio, quàm illæ Civitates, quæ apud se virtutibus factis, credere noluerunt.* Similia habet pluribus alijs in locis.

Quòd verò teste eodem S. Doctore, prædicta Scientia sit independens à Decreto DEI subjectivè absoluto antecedente, inevitabili, constat ex eo; Tum, quia in illis locis citatis, & similibus, ut lib. 2. de Nuptijs. Lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 28. Epist: 49. & alibi agendo de tali Scientia Divina, nullam mentionem facit ejusmodi Decreti: eoq; posito non salvaretur libertas creata, ut constat ex dictis suprà. Et certè, si læditur liberum arbitrium humanum

num per qualitatem necessitantem, ut concedunt omnes Orthodoxi contra Jansenium: quidni etiam lædatur per ejusmodi Decretum? Tum, quia lib. 1. ad Simplicianum q. 2. docet, quòd DEUS pro priori habeat Scientiam, seu sciat, quænam sit Gratia congrua, seu efficax futura, si daretur Petro, verbi gratia, antequam eum vocet, seu antequam decernat; illam Gratiam eidem conferre, ait enim: *Cui miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Ergò est menti S. Augustini conformis Sententia, docens dari in DEO Scientiam Mediam: hæc enim nihil aliud est, quàm Scientia liberorum conditionatè futurorum independens à Decreto subjectivè absoluto antecedente, inevitabili.

Adverte. Auxilium efficax vocari à S. Doctore, Auxilium Congruum: non quatenus, vox, *Congruum*, significat, Aptum ad causandum Actum salutarem: tali enim congruitate quodlibet Auxilium supernaturale, congruum est: sed quatenus vox, *Congruum*, idem significet: quod si daretur, habiturum est effectum, seu exitum felicem, liberè consentiente voluntate nostra. Sicut è contra, Incongruum, illud dicitur, Quod, si detur, non habiturum est effectum, liberè dissentiente voluntate nostrâ: Non verò quasi sit impotens causare Actum salutarem.

Probatur 2dò Assertio. Quia S. Augustinus sat clarè militat pro Scientia Media, in explicanda Gratia efficaci & inefficaci: recurrit enim ad consensum nostrum vel dissensum conditionatè prævisum ante Decretum absolutum. Ex pluribus ejus Textibus, aliquos innuo.

Libro 12. de Civitate DEI cap. 6: *Si aliqui duo æqualiter affecti animâ & corpore eâdem* (contra castitatem) *tentatione tententur, & unus ei cedat atq; consentiat, alter, qui idem fuerat, perseveret: quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate discedere.*

Libro de Spiritu & litera cap. 14: *Misericordia DEI prævenit nos, consentire autem vocationi DEI, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.*

Concione 23. in Psalmum 118: *Qui dicit, Inclinavi cor meum: ipse jam dixerat: Inclina cor meum: ut intelligamus, simul hoc esse & Divini muneris, & propriæ voluntatis.*

Libro de Correptione & gratia cap. 11. *Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint* (puta infallibiliter ope-

operari) *quia sic volunt.* Et paulò infra dicit: Quòd DEUS suam gratiam relinquat in hominis arbitrio. En S Doctor, Posse gratiæ efficacis, quà talis, attribuit etiam volitioni nostræ consentienti, seu consensui nostro.

Libro de Prædestinatione & Gratia cap. 6to: *Illi, quia voluerunt, crediderunt: isti, quia noluerunt, non crediderunt.* Tractatu in Joannem super illa verba: *Propterea non poterant credere*, ait. *Quare non poterant, si ex me quæratur? citò respondeo: quia nolebant.*

Libro 1mo ad Simplicianum (S Ambrosij in Episcopatu Mediolanensi Successorem, pietate & sapientiâ insignem) q. 2. *Noluit ergò Esau, & non cucurrit, sed & si voluisset, cucurrisset, nisi vocatione contemptâ, reprobus fieret.* Et infra ibidem: *Verum est ergo. Multi vocati, pauci verò electi: illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neq; contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est. Non est volentis neq; currentis, sed miserentis est DEI: quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur: falsum est autem si quis dicat: Igitur non miserentis est DEI, sed volentis atq; currentis: quia nullius DEUS frustra miseretur: cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Satisfit Adversariorum responsionibus ad nostras Probationes.

Neq; dicas cum quibusdam Scientiæ Mediæ impugnatoribus, Patronis hac in parte Jansenij. 1mo. Quòd doctrinam ex lib ad Simplicianum adductam, retractaverit postea S. Doctor. 2do. Quòd Doctrinam propositam, ex Persona Pelagianorum & Semipelagianorum proponat. 3tio. Quòd illa Doctrina sit à S. Patre proposita non assertivè, sed tantùm disputativè. 4to. Quòd Bellarminus lib 2 de Gratia & libero arbitrio cap 15. asserat, nullam debere haberi rationem librorum Augustini ad Simplicianum. Contra enim est. Tum, quia illa prima tria dicta, merè sunt arbitraria sine ullo fundamento gravi, & absq; testimonio ullius veteris probati Auctoris: similiq; modo dicendi, posset ferè ad omnes textus, qui afferri solent à Catholicis contra hæreticos Novatores, ab ijsdem responderi. Tum, quia seposito affectu, Lector prudens librum ad Simplicianum legendo, facilè & perspicuè cognoscet Veritati dissona esse,

esse, quæ opponuntur. Scribit quidem Divus Augustinus initio lib. 2. Retractationum, commemorans suum illum Tractatum ad Simplicianum: *Laboratum est* (inquit) *quidem pro libero arbitrio, sed vicit Gratia DEI.* Verùm, quæ hic vel umbra retractationis? Sensus enim verborum clarus est, scilicet iste; Ita demonstravi, cum libero arbitrio consistere vocationem efficacem & inefficacem, ex eo videlicet; quia congrua seu efficax illa est, cui prævisus homo contemperandus seu cooperaturus, si daretur: incongrua verò, seu inefficax, seu purè sufficiens, cui prævisus est, non contemperandus, ut victoria penes Gratiam DEI & misericordiam staret in electione & Prædestinatione Sanctorum: idq; ideo, quia solius Divinæ misericordiæ est, conferre illam Gratiam vocationis, cui prævisus est homo contemperandus. Quidnam item vel tantillum in illa doctrina, Pelagianismum vel Semipelagianismum redolet? Quodnam demùm in illis citatis textibus vestigium est, quòd disputativè tantùm, non assertivè, doctrinam illam proposuerit S. Doctor? cùm absolutè concludat: *Verum est ergo: Multi vocati, pauci electi: Illi enim electi, qui congruenter vocati &c:* Et denuò absolutè concludit: *falsum est autem, si quis dicat: Igitur non miserentis est DEI &c.* Quis quæso merè disputativè, & non assertivè doctrinam suam taliter proponit? Quod demùm ex Bellarmino adducitur, palmaris falsitas est, nihil enim tale in illo loco citato reperitur, ut legenti patebit. Accedit, quòd Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, agendo de S. Augustini libris, exprefsè habet hæc: *Ex libris, quos Augustinus pro suis agnoscit in Retractationibus* (uti defacto agnoscit libros ad Simplicianum in 2 Retractationum lib. cap. 1.) *Nemo jure dubitare potest.* Insuper ipsemet Divus Augustinus, libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 4. illos ipsos libros commendat, eòq; Lectorem, velut ad purioris de Gratia doctrinæ fontem defæcatum, remittit.

Ad meliorem intelligentiam dictorum, & solutionem objectionum in contra.

Nota Imò Assertores Scientiæ Mediæ approbant illud dictum S. Augustini lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 5. *Ut Saulus de-* *Solvuntur Adversa-*

riorum objectiones, quas desumunt ex S. Augustino.

de Cælo vocaretur, & tam magnâ efficacissimâ vocatione converteretur, Gratia DEI erat sola, quia merita ejus erant magna, sed mala. Docent enim illi omnes, quòd sola Gratia, & solum beneficium DEI, & quidem singulare fuit in hoc, ut Paulo daretur talis Gratia, cui prævisus est consensurus, seu Gratia efficax, non autem purè sufficiens. Hinc patet, quàm minùs cautè, & minùs prudenter, quidam Theologus (cujus nomini parco) nobis oppositus, adjecerit citato textui hæc in suis scriptis. *Hic securus injicitur Scientiæ Mediæ.* Cùm nihil omnino adversetur textus ille nobis. Non autem sola Gratia DEI fuit, ut consensus salutaris à Paulo, sive in statu absoluto, sive conditionato, eliceretur: ipse enim nobiscum S. Paulus contra insonat. *Non ego, sed Gratia DEI mecum:* quem locum explicans Divus Augustinus, in eodem libro & capite supra hic citato, dicit. *Non ego, sed Gratia DEI mecum; ac per hoc nec Gratia sola, nec ipse solus, sed Gratia DEI cum illo.*

Nota 2dò. Dum idem Sanctus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 14. dicit: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus: dictum est secundùm pericula vitæ hujus, non autem secundùm Præscientiam DEI, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Tantummodo significare voluit, quòd DEUS immaturam mortem illius Juvenis decreverit, ut eum subtraheret occasionibus peccandi, quas, si vixisset, haberet secundùm pericula vitæ hujus, & in quibus peccaret: dum verò addit: *Non secundùm præscientiam;* denotare voluit, quòd DEUS illum immaturè rapiendo non habuerit de illo Scientiam absolutam Visionis, necessariam ad præmiandum vel puniendum homines. Similiter dum dicit lib. 2. contra duas epistolas Pelag. cap. 7: *Quomodo præscivit ea futura,* (nempe opera) *quæ, illis in infantia morituris, quia præscientia ejus falli non potest, præscivit potiùs non futura?* Loquitur, quòd purè sub conditione futura, non sint futura absolutè, nec videantur à DEO per Scientiam absolutam Visionis: non autem loquitur, quòd futura purè sub conditione, non sint ullo modo futura, nec videantur à DEO. Quòd autem taliter explicari debeant adducti Textus, evidenter ex eo constat, quia de dono Perseverantiæ, cap: 9. clarè agnoscit, Christum attestatum fuisse, proinde & agnovisse, futuram sub conditione pœnitentiam Tyriorum, quæ tamen

men nunquam erat absolutè futura. Lib. item de Gratia & libero arbitrio cap. 8. asserit, nonnisi perversissimè & insulsissimè posse talem Scientiam negari DEO. Vide ipsos Textus suprà in Probatione I. Assertionis 2dæ.

Nota 3tiò Libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. dicit quidem S. Doctor: *Prædestinatione DEUS ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus*; dicit item: DEUM prædestinâsse, est præscîsse, quod fuerat ipse facturus. Et lib. de dono Perseverantiæ cap. 17: *An fortè, nec ipsa dicuntur prædestinata? Ergo nec dantur à DEO: aut ea se daturum esse præscivit: Quod si & dantur, & ea se daturum præscivit esse, profectò prædestinavit.* Sed ex his textibus non rectè infertur, Scientiam Mediam, seu Præscientiam futurorum conditionalium pendere à voluntate DEI & Decreto absoluto. Nam ibi (ut legenti sat patet) loquitur S. Pater de Præscientia futurorum absolutè tantùm, non autem de omni Præscientia etiam futurorum sub conditione. Item, dum idem lib. de Prædestinatione Sanctorum agens contra Semipelagianos, Propositionem hanc: *Præscientia præcedit propositum*; dicit esse Semipelagianam: loquitur de Præscientia operum salutarium elicitorum sine Gratia supernaturali, seu ante propositum Gratiæ, & ante Decretum de danda Gratia, non absolutè existens, sed conditionatè suppositum. Et in hoc sensu damnat illam Propositionem, ac meritò: Nam cùm talia opera sint fictitia, & chimærica, etiam Scientia de ijsdem talis est.

Nota 4tò. Dum dicit S. Doctor lib. de Correptione & gratia cap. 12. Gratia efficax est major, quàm sit purè sufficiens: non vult Gratiam efficacem semper esse majorem in sua intrinseca entitate, sed vult esse majorem, tum in ratione Doni, Beneficij, favoris liberalissimi, & misericordiæ, quâ illam entitatem Gratiæ delegit DEUS, quam prævidit conjungendam cum fieri, seu operatione salutari, seu cum actu ipso: Tum extensivè majorem, quia concludit duo, scilicet entitatem Gratiæ supernaturalis, & ipsam operationem supernaturalem, tanquam alteram Gratiam ex prima Gratia. Dicit quidem hic S. Doctor, & nos cum illo: Auxilium finale efficax esse tale, ut cum eo nonnisi homines perseverantes sint; ast ita perseverantes, ut potuerint non esse perseverantes, quantum ex vi actus primi

mi proximi. Rectè item dicit, Gratiam efficacem, quâ efficacem, conferri à DEO, ut faciamus, seu ut fiat operatio absoluta, esseq; illam, quâ indeclinabiliter & insuperabiliter agit voluntas, & quâ vult invictissimè bonum, sed indeclinabilitate, & insuperabilitate, orta ex suppositione consequente consensûs & cooperationis conditionatæ, per Scientiam Mediam prævisæ.

Nota 5tò. Admissâ Scientiâ Mediâ, in qua fundatur efficacia Gratiæ, salvatur benè, *Humanorum cordium quò placuerit inclinandorum* (Nota benè: non affigendorum ad unum, nempe ad operari vel non operari tantùm salvâ libertate) *Omnipotentissima in DEO potestas*: ut loquitur S. Augustinus lib. de Correptione Gratiaq; cap. 14. vel ut dicit epistola 107. *Omnipotentissima facilitas, per quam duritia cordis auferatur.* Siquidem Sententia Societatis docet, quòd licèt DEUS, salvâ libertate humanâ, non videat ullum auxilium ex suppositione antecedente, ex natura sua infallibiliter connexum cum nostro consensu (teste enim Tridentino, sess. 6ta. Quodlibet abjici potest) tamen DEUS in Thesauro Suæ Omnipotentiæ, respectu cujuscunq; hominis, & in quibuscunq; circumstantijs habet, præstò semper infinita auxilia, de se ad utrumlibet indifferentia, quorum quædam prævidet per Scientiam Mediam, conditionatè infallibiliter efficacia, quædam verò inefficacia: seu quod idem: Cognoscit DEUS, nos multis auxilijs esse liberè cooperaturos, si nobis darentur, alijs non cooperaturos: quorum auxiliorum collatio, cùm sit in liberrima voluntate solius DEI, & nullo modo in potestate hominis, hinc habetur, quòd DEUS quemlibet hominem, quando voluerit, ubi voluerit, quomodo voluerit, infallibiliter convertere possit: sicq; cor Regis (imò omnium hominum) est in manu DEI, ut quocunq; voluerit, flectat illud: verificaturq; illud S. Augustini lib. de Prædestinatione Sanctorum cap: 14. *DEO volenti* (intellige absolutè efficaciter) *salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium.*

Doctrina S. Augustini quanto in pretio habenda?

Nota 6tò. Magni semper in Ecclesia DEI, habita est & habenda S. Augustini Doctrina. *Tantâ enim Sapientiâ scripsit*, (præsertim ubi de Gratia) *ut ejus Sententia* (inquit magnus Suarez Prolegom. 6. cap. 6.) *semper sit præferenda, nisi cùm major Patrum, aut Ecclesiæ Auctoritas obstare videtur: quod rarò, vel nunquam continget.* Et, si fortè conti-

contigerit, explicandus potiùs erit Augustinus, quàm reprobandus. Vasquez par. 1. disp. 89. ait: *Unus pro multis mihi semper erit Augustinus, qui in materia de Gratia & Prædestinatione, inter cæteros Ecclesiæ Patres, non aliter, quàm sol inter minora sidera præfulget*; Teste S. Hieronymo in epistola ad Divum Augustinum: *Catholici Te, ut Conditorem antiquæ rursus Fidei venerantur.* S. Damianus serm. de S. Stephano, qui est 61. Augustinum vocat *Lingvam Ecclesiæ.* S. verò Bernardus serm. 80 in Cantica: *Validissimum hæreticorum malleum.* Imò Lutherus ipse in Colloquijs Mensalibus titulo de Patribus ait: *Augustinus præ omnibus Doctoribus insignis est, & omni laude dignus.* Item Calvinus lib. 3. Institutionum cap. 2. scripsit: *Augustinus, Scripturæ fidus interpres est.* Et lib. 4. Institutionum cap. 14: *Augustinus, optimus totâ antiquitate, & fidelissimus est testis.* Plus item decem locis earundem Institutionum appellat eum *Virum Sanctum.* His tamen stantibus, Assero cum Theologis, S. Augustini Doctrinam absolutè quoad omnia non esse irrefragabilem. Est contra Jansenium Assertio hæc, qui tomo 2. lib: 1. Procem. cap: 24. ait: *Augustinus est instar omnium, locò omnium, supra omnes. Pater Patrum, Doctor Doctorum, primus post Scriptores Canonicos: inter omnes verò solidus, subtilis, irrefragabilis, Angelicus, Seraphicus.* Ratio Asserti nostri est. Tum, quia nullum talis irrefragabilitatis absolutæ quoad omnia, est solidum fundamentum in Concilijs & Patribus, ac ratione. Etiam S. Thomæ Doctrina est plurimùm commendata ab Urbano V, Innocentio IV, Clemente VIII. non minùs quàm commendata est Doctrina S. Augustini à Cœlestino Imo, Gelasio, Hieronymo, & tamen non censetur Doctrina S. Thomæ absolutè quoad omnia esse irrefragabilis. Tum, quia Cœlestinus Imus, in epistola sua ad Episcopos Galliæ ait: *Profundiores partes quæstionum, quas pertractârunt Augustinus & alij, qui hæreticis restitêre, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus, astruere.* Tum, quia ab Alexandro VIII. damnata est Propositio hæc: *Ubi quis invenerit Doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

CAPUT III.

ASsero 3tiò. Sententia docens dari in DEO Scientiam Mediam, non est Dogma in veteres Pontifices, & antiquam Ecclesiam, injuriosum.

Scientiam Mediam non esse injuriosā in veteres Patres, & doctrinam Ecclesiæ, probatur multifariè.

PRobatur Imo Assertio. Subruendo fundamentum Jansenij. Ideò Nostra Sententia de Scientia Media, cui innititur efficacia Gratiæ, esset dogma injuriosum in veteres Pontifices & antiquam Ecclesiam, quia Jansenistæ cum suo Jansenio docent, efficaciam Gratiæ, juxta S. Augustinum, veteres Pontifices & antiquam Ecclesiam, consistere in tali auxilio, quod infert necessitatem antecedentem tollitq; indifferentiam libertatis in statu naturæ lapsæ, relinquendo tantummodo libertatem homini à coactione: ut patet ex toto Jansenij pseudo-Augustino, præsertim ex lib. 6. de Gratia Christi, item ex varijs Jansenistarum scriptis. Sed hic sensus & doctrina Jansenistarum cum suo Jansenio, de efficacia Gratiæ, est error damnatus à S. Pio V, Gregorio XIII, Innocentio X & alijs Pontificibus Romanis, repugnatq; Divo Augustino, Pontificibus veteribus, antiquæ Ecclesiæ, & Concilijs. Vide dicta superiùs in 1. parte Tractatûs Imi, cap. 3. Proinde graviter erroneo fundamento innititur dicta Propositio Jansenij.

S. Thomas docuit dari in DEO Scientiam Mediam.

Probatur 2dò Assertio. S. Augustinus & S. Thomas, non docuerunt injuriosum Dogma in veteres Pontifices, & Ecclesiam antiquam, ut nec ipse diffitetur Jansenius cum suis, saltem quoad Divum Augustinum. Atqui S. Augustinus docuit dari in DEO Scientiam Mediam, ut deductum superiori cap. Consentit S. Doctori Divus Thomas; is enim parte 3. q. 1. art. 5. ad 2. explicans illud: *Væ tibi Corozaim, &c:* approbat Sententiam Divi Augustini lib. de dono Perseverantiæ cap. 9. superiori capite annotatam; & ex suo sensu addit: *DEUS his, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit, subvenit: alijs autem non subvenit.* Ubi S. Thomas loquitur de Prævisione Fidei eorum, qui nunquam erant credituri absolutè: proindè supponit libera conditionatè futura sciri à DEO: & quidem independenter à Decreto subjectivè absoluto, vel à qualitate prædeterminante antecedente inevitabili: nam docet sæpissimè, quòd

quòd voluntas creata habeat Dominium sui actûs, seq; ipsam moveat, determinet ad consensum vel dissensum, sine ullo prævio, tenente se ex parte Actus primi, inevitabiliter determinante illam ad unum. In 2dum enim Sententiarum, distinctione 25. q. 1. art: 1. ad 3tium dicit: *DEUS operatur in omnibus, ita tamen, quòd in unoquoque secundùm ejus Conditionem: Unde in rebus naturalibus operatur, sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans Naturam ad talem Actionem: in libero autem arbitrio, hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret; & ipso operante, liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio Actionis & finis, in liberi arbitrij potestate constituitur, unde remanet sibi Dominium sui actûs.* Ibidem dist: 39. q. 1. art. 1. *Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura: sed quòd determinatè exeat in hunc Actum, vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Idem repetit sequenti articulo 2do.

Imò. Contra Gentes cap. 68. *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle, & non velle, excludit determinationem virtutis ad unum.*

2dò. Contra Gentes cap. 48. *Quod non est sibi causa agendi, non est liberum in agendo: quæcunq; autem non moventur, neq; agunt, nisi ab alijs mota, non sunt sibi ipsis causa agendi: sola ergo moventia seipsa, libertatem in agendo habent.*

In 2dum distinct. 38. q. 1. art. 5. *Contingentia ad utrumlibet in causis suis, nullo modo cognosci possunt, non habent causam determinatam.*

Prima parte q. 22. art: 2. ad 4tum. *In hoc, quod dicitur: DEUM reliquisse hominem in manu Consilij sui: Non excluditur homo à Divina Providentia, sed ostenditur, quôd non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum.*

Prima parte q. 62. art: 3. ad 2dum. *Inclinatio Gratiæ non imponit necessitatem, sed habens Gratiam potest eâ non uti & peccare.*

Prima parte q. 63. art: 7. ad 3tium. *Quantacunq; inclinatio fuerit ad bonum in Supremo Angelo, tamen ei necessitatem non inducebat; unde potuit per liberum arbitrium eam non sequi.*

Prima 2dæ. q. 1. art: 2. *Illa, quæ rationem habent, seipsa movent ad finem, quia habent Dominium suorum Actuum per liberum arbitrium* Ibidem q. 9. art: 3. *Voluntas, Domina est sui actus, & inipsa est velle &*

le & nolle, quod non esset, si non haberet in potestate movere seipsam ad volendum: Ergò ipsa movet seipsam. His perpensis videtur à vero non deflexisse Fr. Petrus à S. Josepho è præclara Congregatione Fuliensi, qui è Monasterio suo Parisiensi in sua svavi Concordia disp: 4ta scribit: *Scientiam Mediam esse ad mentem S. Doctoris Thomæ dubitari non potest, etsi Adversarij, ad terrorem pueris incutiendum, ejusmodi Scientiam sub specie monstri cujusdam horridi effingere solent.* Unde ulteriùs infertur, Theologos Societatis, licèt diffideant in Materia de Scientia DEI & auxilijs, à Thomistis, non tamen diffidere à S. Thoma.

Notabilis textus Petri à S. Josepho, de mente S. Thomæ.

Confirmatur Assertio. Quia esse in DEO Scientiam conditionatam futurorum liberorum, docent Sancti Patres Antiqui, nullum agnoscendo Decretum subjectivè absolutum antecedens inevitabile, inimpedibile ante Consensum Nostrum, tales Patres sunt, S. Gregorius Nyssenus in lib de ijs, qui præmaturè abripiuntur. S. Cyrillus lib. 3. contra Julianum S. Ambrosius in Psal: 40. & 45. S. Gregorius Magnus 15 Moralium cap. 4. & alij plurimi, quos vide copiosissimè apud P. Didacum Ruiz de Montoya, tomo de Scientia DEI, incipiendo à Disputatione 39. per totas viginti tres Disputationes, & tomo de voluntate DEI, incipiendo à Disputatione 20. per 32. Disputationes. Item Universa S. Benedicti per Hispaniam Doctissima Familia asserit, idem sensisse suum S. Anselmum.

Ad meliorem intelligentiam dictorum, & solutionem objectionum in contra.

Tridentinum Concilium, quamnã Gratiam concilia-vit cum libertate.

NOta Imò. Falsum esse, quòd Concilium Tridentinum, illam Gratiam conciliaverit cum libertate humana, quam Calvinus causabatur non posse stare cum libertate, & inferre necessitatem absolutam. Potiùs enim Tridentinum damnavit illam Gratiam tanquam hæreticam, quam Calvinus dicebat non posse stare cum libertate indifferentiæ: definivitq; eam Gratiam efficacem in opere salutari esse admittendam, quam liberum arbitrium possit abjicere, & cui possit dissentire, si velit. Et certè quis credat, Tridentinum, Gratiam ex sua præcisè entitate efficacem, id est essentialiter determinatam ad unum, voluisse conciliare cum eo, quod est essentialiter ex se indetermi-

terminatum & indifferens ad utrumlibet, qualis est libertas? In sententia Societatis, efficacia Gratiæ ex duobus constituitur, nempe principaliter ex Gratia intrinsecè supernaturali, & ex consensu. Consensus, seu usus bonæ Gratiæ, est in nostra potestate, juxta Scripturam, Patres, & Concilia; Gratia non est: unde initium salutis semper sumitur à Gratia, & completur per consensum: atq; in omni statu tam conditionato quàm absoluto, semper præcedit Gratia intrinsecè supernaturalis consensum nostrum salutarem.

Hominis justi discretio ab injusto, pro quonam fit statu?

Nota 2dò. Discretio justi ab injusto, non fit pro statu conditionato; cùm pro hoc statu sint æquales: Sicut enim DEUS pro statu conditionato per Scientiam Mediam prævidit Petrum non acturum pœnitentiam sub aliqua Gratia, quæ illi daretur, & non hæc, quæ data est: sic etiam Judas prævisus est acturus pœnitentiam sub aliqua Gratia, si illi daretur, & non hæc, quæ data est. Unde discretio justi à peccatore fit, in solo statu absoluto, estq; duplex: in Actu 1mo, & in Actu 2do. Discretio in Actu 1mo, est à solo DEO sine nobis, ex prævia Misericordia secundùm propositum voluntatis suæ; quia est Decretum DEI, quo DEUS voluit justo conferre auxilium, quod per Scientiam Mediam prævidit conjungendum cum actione salutari, noluit tamen tale conferre injusto; quæ selectio auxiliorum est in potestate solius DEI. Discretio autem in Actu 2do, habetur principaliter à DEO dante Gratiam, secundariò autem à voluntate creata cooperante Gratiæ Divinæ: quia Discretio in Actu 2do, est ipse Actus salutaris, verbi gratia, Contritio, quæ principaliter quidem procedit à DEO, utpote dante vires ad illam eliciendam, sed simul procedit ab homine, juxta illud Apostoli: *Non ego, sed Gratia DEI mecum.*

Cur aliquis prædestinatur?

Nota 3tiò perquàm diligenter. Licèt nullus ex adultis prædestinetur, nisi, qui prævisus est consensurus finali Gratiæ, tamen non ideo prædestinatur, quia consensurus est: nam ita prævisus est consensurus Gratiæ huic finali, ut simul sit prævisus non consensurus multis alijs Gratijs finalibus: adeoq; nihil in illo est, cur potiùs mereatur prædestinari, quàm non. Deinde, licèt Petrus prævisus fuisset consensurus omnibus omnino Gratijs, si darentur, adhuc tamen non fuisset meritus per hoc prædestinari; nullum enim opus

bonum purè sub conditione futurum, habet vim merendi, sicut nec malum, demerendi: aliàs justus raptus, ne malitia mutaret intellectum ejus, deberet æternum puniri pro malis purè sub conditione futuris: & reprobus, raptus, prævisus pænitentiam acturus, si diutiùs viveret, deberet salvari: quod est error Semipelagianorum contra Fidem, & quidem teste S. Augustino, absurdissimus & insulsissimus. Proinde Prædestinatio fit solâ liberali misericordiâ DEI: Reprobatio fit altis & inscrutabilibus Judicijs DEI, non tamen injustis: ut multoties S. Paulus & Augustinus ingeminant. Quod ipsum expressè docet P. Molina, plurimis in locis in sua Concordia.

In quonam sensu, DEUS exspectare consensum nostrum, dicitur?

Nota 4tò. DEUS non exspectat consensum nostrum, tanquam causam motivam & meritoriam vel impetrationem primæ Gratiæ auxiliantis; expectat tamen consensum nostrum tanquam meram conditionem objectivam, juxta illud Isaiæ cap. 30, & cap. 5: *Exspectavi ut faceret uvas, &c.* Apocalyp. 3. *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis &c.* Effectus Misericordiæ DEI, sumptus pro illustratione & pia affectione supernaturali, quæ est causa consensûs nostri, non est in nostra potestate: effectus tamen misericordiæ sumptus pro nostro consensu libero, est in nostra potestate, sed non nisi prout elevatâ, & adjutâ per Misericordiam DEI. Gratia efficax à nullo duro corde respuitur, non ideo, quòd necessitet voluntatem: verùm quia respuenda non erat si daretur, & talis est prævisa per Scientiam Mediam.

Causa contingens, qualiter debet determinari?

Nota 5tò, Causa contingens, debet quidem determinari à DEO, sed determinatione non præviâ essentialiter & inevitabiliter connexa cum una parte electionis, verùm determinatione complente potestatem electionis per principia de se indifferentia, ita, ut his habitis, adhuc liberum arbitrium possit se ultimò determinare, ad quod vult. Principium hoc: Ab eo, quod se habet ad utrumlibet, non sequitur Actio, nisi ab aliquo inclinetur; verificatur tantùm de ijs, quæ seipsa inclinare non possunt: id est, quæ habent indifferentiam, merè passivam & negativam sine Dominio, qualem habet verbi gratia paries ad albedinem recipiendam vel non recipiendam: secus autem verificatur de causis liberis.

Scientia Media.

Nota 6tò. Conceditur perlibenter S. P. Nostrum Ignatium, in libro Exercitiorum pag. 71. scripsisse hæc: *Primum tempus erit,*

do voluntatem Divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio, imò etiam dubitandi facultas animæ sublata sit, quo minùs sequatur impulsionem talem, sicut legimus B. Paulo & Matthæo & alijs nonnullis vocante Christo accidisse. Sed hæc omnia perbellè salvantur in doctrina Societatis de Scientia Media, ex eo, quòd dubitandi omnis facultas, in Paulo v. g. ablata sit per cognitionem evidentem, quâ DEUS illi ostendit immensam bonorm copiam, quam ipsi præparabat, & immensam malorum molem, quæ imminebat, si non obtemperaret: quæ evidens cognitio (non prædeterminatio physica) vehementer inclinabat voluntatem ad obtemperandum, & omnem auferebat dubitationem de eo, quod ei expediebat operari; hincq; orta fuit vehemens inclinatio voluntatis ad id, quod tali evidentiâ cognoscebat sibi esse summè bonum. Porrò hæc inclinatio stat bene cum indifferentia physica, ut sapienter advertit P. Cardenas cum alijs. Conceditur item S. Borgiam dixisse: Voluntatem DEI esse causam rerum, & semper impleri. Ast numquid non impletur, si conferantur Auxilia talia, quibus prævidit DEUS liberè consensuram voluntatem, prævidit inquam per Scientiam Mediam? Hinc habetur, non mediocriter deviâsse à Religiosa modestia & veritate, illum, (hujus Nomini parco) qui in sua Compendiaria Theologia Morali, non est veritus scribere: *Societatis Doctrina de Scientia Media, est contra Doctrinam suorum Majorum, nempe S. Ignatij & S. Borgiæ, adeoq; in illos injuriosa.*

non adversatur doctrinæ S. Ignatij & S. Borgiæ?

CAPUT IV.

ASsero 4tò. Jansenius fuit injuriosus in Divum Augustinum: item in Sanctum Hieronymum, nec non in Patres veteres: item in Romanos Pontifices: demùm in Sanctum Thomam, subtilem Scotum, & Theologos.

PRobatur Assertionis 1ma pars. Quia S. Augustino gravem inussit infamiæ notam, & injuriam intulit, dum Propositiones suas famosas quinque, ab Ecclesia & Universo Orbe Orthodoxo condemnatas, acerrimè contendit esse indubitatè à Divo Augustino traditas,

Injuriosus fuit Jansenius in S. Augustinum.

ditas, tanquam omnino Veritati consonas, cùm tamen non sint ejus, ut demonstratum in prima parte Tractatus hujus.

Item in S. Hieronymum, eximium Ecclesiæ Doctorem.

2da Pars Assertionis probatur. Quia Auctoritatem S. Hieronymi, non leviter depressit. Tomo enim 2. lib. Procem: cap. 24. dicit: *Augustinus est Patrum Pater, interq; omnes verò irrefragabilis, qui Hieronymum ita humi stravit, ut in omnibus articulis ventilatis, ei calamum è manu extorserit, ad palinodiam adegerit.* Cùm tamen ipsemet S. Augustinus, plurimùm, & meritò eum appretiaverit. Epistola enim 19. Ingenium ejus *Divinò Donô aureum* appellat: Et epist: 28. ad eum scribens, petit se ab eo instrui, de Natura & origine animarum, inquiens; *Sancte Frater Hieronyme, noli me spernere, doce, quæso, quod doceam, doce, quod teneam.* Gelasius item Papa cum 70 Episcopis, Anno 494. in Concilio Romano dixit: *Illa sentimus, quæ Beatissimum Hieronymum sentire cognoscimus.* S. Sulpitius Severus Bituricensis Archi-Episcopus, Dialogo 1. De virtutibus Monachorum Orientalium scripsit: *Hieronymus per totum Orbem legitur, nemo audet se illi in Scientia comparare: ego apud Hieronymum 6. Mensibus fui. Oderunt eum Hæretici* (inter quos etiam Jansenius) *sed planè eum boni omnes admirantur & diligunt.* Commune ille fuit Orbis Oraculum: dici consveverat. Neminem scisse, quod Hieronymus ignorabat.

Necnon injuriosus fuit Jansenius in Patres veteres.

Tertia pars Assertionis probatur. Quia Jansenius ausus est scribere tomo 1. col. 438. Plerosq; Ecclesiæ Scriptores post Origenem usq; ad provectam ætatem S. Augustini, fuisse infectos errore Semipelagiano. *Origenes*, inquit, *& Augustini Sententia, ante susceptum Episcopatum, Semipelagiana fuit, ut non mirum sit, alios inferioris notæ & perspicaciæ scriptores, inter utriusq; ætatem interjectos, in eundem scopulum impegisse: nam, ut Augustini doctrinam inter Latinos in Occidente, ita inter Græcos in Oriente pleriq; in scripturarum explicatione sectati Origenem.* Cùm ergò Scriptores inter Origenem & Augustinum præcipuè emineant Ecclesiæ Patres, SS. Athanasius, Epiphanius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, Chrysostomus &c: sequitur illos fuisse è sensu Jansenij perfectè Semipelagiano errore contaminatos.

Quarta pars probatur. Quia Summi Pontifices Romani, S. Pius V, Gregorius XIII. Propositiones 79. Michaëlis Baji pronuntiârunt

runt respectivè esse *hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes*; his tamen non obstantibus, Jansenius post illam solennem denuntiationem Pontificum, palàm docuit, illas Propositiones esse omnino veritati consonas: in suoque Authentico manuscripto libro cui titulus: *Ad excusandas Propositiones Magistri Michäëlis Baji*, dicit: *Constitutiones Pij V. & Gregorij XIII. contra Magistrum Bajum, sunt impedimentum doctrinæ veteris introducendæ. nec sine arte Satanæ procuratum fuisse videtur obstaculum illud condemnationis Michäëlis Baji: ut, qui doctrinam illam gratiæ novitiam destruere vellet, & veterem introducere, contra Sedem Apostolicam luctari in speciem videatur.*

Necnon in Summos Pontifices

Reliquas ultimas partes Assertionis 4tæ, antequam probem.

PRæmitto Imo. Certum omnino est, quòd S. Thomas plurimis in locis, ut 1. par. q. 95. art. 1. In 2dùm, dist: 19. & 31. 4to contra Gentes cap. 52. Quæst: 4ta de malo. Subtilis Scotus in 2. dist. 28. q. unica. Gabriel, ex mente Okami in 2. dist: 30. q. 1. Cum suis Thomistis, Scotistis, Nominalibus, alijq; Theologi Orthodoxi doceant, Possibilem esse statum puræ naturæ, donaque primò homini in sua creatione concessa, non fuisse Nativitati ipsius naturalia & debita, sed ei indebita & supernaturalia, ut sine illis à DEO potuerit creari: adeoq; esse possibilem statum puræ naturæ; nomine enim talis statùs, intelligitur, status habens præcisè facultates & perfectiones, sibi naturaliter debitas cum proportionato DEI concursu, absque ordinatione ad finem supernaturalem per dona supernaturalia, & corruptione naturæ per peccatum originale.

Itē in Divum Thomam, subtilem Scotum, & Theologos classicos.

Præmitto 2dò. Possibilitatem statûs puræ naturæ negat Lutherus in Commentario suo, ad caput 3tium Genesis agens de originali Justitia ita loquitur: *Statuimus, justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet separatum à natura hominis: sed fuisse verè naturalem, ut natura Adæ esset, diligere DEUM, credere DEO, agnoscere DEUM. Hæc tam naturalia fuêre in Adamo, quàm naturale est, quòd oculi lumen recipiunt. Originalis Justitia est de Natura hominis: per peccatum autem amissâ eâ Justitiâ, non manserunt integra natura-*

turalia, ut Scholastici delirant. Cum Luthero idem sentit Calvinus lib. 1. Institutionum cap. 15. & lib. 2 cap. 1. Item Jansenius, quin imò is Tomo 2do, totis tribus libris non est veritus docere: Illos, qui asserunt possibilem esse puræ naturæ statum, suffragari Manichæis, cum Atheis de immanitatis palma certare: DEUM crudelitatis arguere, ejusque Providentiam ac Justitiam funditus evertere. His præmissis jam veritas Assertionis 4tæ. etiam quoad ultimas sui partes patet. Nam S. Thomas, subtilis Scotus, cum suis Asseclis, Theologique omnes Classici, asserunt, esse possibilem statum puræ Naturæ; estque hæc Sententia assertiva, saltem nunc omnium Catholicorum, & certa: siquidem S. Pius V. & Gregorius XIII. damnavit Propositiones Bajanas, inter quas 26ta est hæc: *Integritas primæ Creationis, non fuit indebita humanæ Naturæ exaltatio, sed Naturalis conditio.* Et 55ta: *DEUS non potuisset ab initio talem hominem creare, qualis nunc nascitur.* Ergo juxta sua dicta superiùs, Jansenius omnes Theologiæ Scholasticæ Principes, & cunctos Classicos Theologos, quin ipsos Summos visibiles Ecclesiæ Pastores, Manichæismi, Atheismi, & plurium blasphemiarum in DEUM, ejusque Providentiam & Justitiam reos esse decernit.

Confirmatur Assertio præcipuè quoad quartam partem. Nempe quòd Jansenius fuerit injuriosus in Summos Pontifices. Nam S. Pius V. & Gregorius XIII. severè damnârunt in suis Constitutionibus Propositiones Baji 79. & quoquo pacto, loquendi, scribendi, & disputandi (intellige offensionis causâ, ut explicavit Cardinalis Grimaldi, olim Nuntius, cùm à Doctoribus Academiæ Parisiensis consuleretur: & patet. nunquam enim approbatæ ab Ecclesia doctrinæ defensio prohiberi solet) facultatem quibuscunque interdixerunt. Ipseque Bajus in sua publica Professione, Lovanij facta Anno 1580. professus est, damnationem suarum Propositionum jure meritoque factam. Jansenius tamen contemptô Judiciô dictorum Pontificum & sui Baji, ejus Propositiones damnatas acerrimè Scriptis suis propugnavit, & quidem non duas, tresvè, sed plurimas: ex earum numero appono hìc 25 Propositiones Jansenij, quæ conveniunt cum Bajanis damnatis.

Enumerantur viginti quinq; Propositiones Jansenij ex elencho

I. In

I. In Angelis neq; merita neq; perseverantia meritorum sunt specialia DEI dona. Jansenius de Gratia Christi Salvatoris lib. 9. cap. 10. Convenit cum Bajana damnata 1ma. *Propositionum damnatarũ Baji desumptæ.*

II. Angelis vita æterna non est Gratia specialis, sed merces meriti. De Gratia Salvatoris lib. 9. cap. 10. Idem dicendum de primo homine, si in statu illo permansisset. Convenit cum Bajana 3tia.

III. Beatitudo supernaturalis & Regnum Coelorum non potest à Creatura rationali innocente separari sine injustitia DEI. De statu naturæ puræ lib. 2. cap. 3. Non differt à Bajana 6ta.

IV. Gratia dilectionis DEI non potest sine culpa subtrahi creaturæ rationali innocenti, & aliquomodo est ei debita. De statu naturæ puræ lib. 1mo. cap. 18vo. Coincidit cum Bajana 21ma.

V. Pelagiani doctrinam suam, quòd possint fieri opera naturæ moraliter bona in infidelibus, fundant in loco Apostoli ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt faciunt.* Sed hæc sunt dissonantia à doctrinæ Ecclesiasticæ Veritate: nam hæc apud Augustinum contra Pelagianos dimicantem indifferenter usurpantur: sine Fide, & sine Gratia, & sine charitate, homines præceptum implere non posse. De hæresi Pelagiana lib. 4to. cap. 8vo. & lib. 3tio de Gratia Salvatoris cap. 11. Similis est Bajana 22da.

VI. Non potest creatura rationalis sine casto amore DEI condi, aut certè sine sufficientissima facultate, quâ castè inhærere creatori suo possit. De statu naturæ puræ lib. 2. cap. 17. Non est diversa à Bajana 23tia.

VII. Regnum DEI non est Supernaturalis ordinationis & elevationis. Non potest homo condi innocens, quin condatur aliquo modo beatus in Regno DEI, quia per Spiritum charitate inhabitantem regnat in eo DEUS. De statu naturæ puræ, lib. 2. cap. 3. & 4to. Convenit cum Bajana 24ta.

VIII. Omnia opera infidelium, sunt peccata; & Philosophorum virtutes sunt vitia. De statu naturæ lapsæ lib. 4. cap. 27mo. Est eadem omnino, quæ Bajana 25ta.

IX. Non potest Creatura rationalis sine amore Creatoris produci. De statu naturæ puræ lib. 1. cap. 3tio. Coincidit cum Bajana 26ta.

X. Ita periit libertas abstinendi à peccato, ut nec in ullo quidem

dem

dem opere, omnis peccati culpam possit effugere. Ita inducta est peccandi necessitas, ut in omni actu, quo legem sibi videtur vel servare vel transgredi, reus alicujus peccati teneatur. De statu naturæ lapsæ lib. 4. cap. 18vo Non differt à Bajana 27ma.

XI. Sine Gratia Christi nullum præceptum legis naturalis impleri potest, sic, ut peccatum illâ observatione vitetur. Hæc est capitalis Veritas S. Augustini contra Pelagianos. De statu naturæ lapsæ lib. 3. cap. 15to Convenit cum Bajana 29 & 30ma.

XII. Solennis illa distinctio amoris in naturalem & eum, qui superet vires naturæ, in universis operibus Augustini, vel cujuspiam antiqui Patris, vel ullo Concilio, nullum habet vestigium, sed Philosophiæ humanæ viribus est excogitata: est enim antiquis omnibus Gratiæ defensoribus inauditum, & aliquid hujusmodi, quod ipso vocabulorum sono exhorrescerent, amorem scilicet Creatoris posse naturæ viribus obtineri. De statu naturæ puræ lib. 1. cap. 3. Non differt à Bajana 36ta.

XIII. Veritas Capitalis est adversus Pelagianos, legem, hoc est, præcepta honestæ vitæ, sive spectent pietatem, sive honestatem moralem abstinendi ab operibus naturali legi contrarijs, & faciendi bona, quæ jubet, non tantùm non posse omnia, sed nec unum quidem impleri, ut peccatum illius observatione vitetur sine Gratia Christi, quæ per ejus Fidem impetratur. Lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 15to. Convenit cum Bajana 37ma.

XIV. Non datur medium inter Charitatem, & culpabilem cupiditatem: si non est dilectio, id est amor incommutabilis veritatis, sive DEI, jam est cupiditas. Omnis amor Creaturæ, est improba cupiditas; hoc ipso autem quo retorquetur in DEUM, est laudabilis Charitas. De statu naturæ lapsæ lib. 3. cap. 19no & lib. 2. cap. 13tio. Similis est Bajana 38va.

XV. Hoc ipso, quo voluntas est, libera est, omnis omnino voluntas, seu volitio rationalis, libera est. De Gratia Salvatoris lib. 6to. cap. 5to: & lib. 8vo cap. 9no. Idem dixit Bajus in sua Propositione damnata 39na.

XVI. Solum primum hominis peccatum, id est libera voluntate, seu cogente nullo perpetratum est, ita ut ei liberum omnino esset,

eſſet, abſtinere. De ſtatu naturæ lapſæ cap. 2imo. Non differt á Bajana 46ta.

XVII. Per Præceptum, *Non concupiſces.* Ipſi motus concupiſcentiæ intelliguntur prohiberi: ideoq; illud Præceptum, ſolùm in Cælo eſt complendum. De ſtatu naturæ lapſæ lib. 2do. cap. 24to. Nónne idem ſonant Propoſitiones Baji 50. 51. 75?

XVIII. Sunt quædam homini Præcepta ſecundùm ſtatum & vires, in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia, nec adeſt ſemper Gratia, quâ Præcepta illa implere ſufficiamus. Doctrina huic oppoſita eſt Celeſtii Pelagiani. De Gratia Salvatoris lib. 3. cap. 13tio. Idem utiq; dicit & Bajana 54ta.

XIX. DEUS non potuiſſet talem ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur. De ſtatu naturæ puræ lib. 3. cap. 22do. Non differt à Bajana 55ta.

XX. Juxta Auguſtini Principia, dubitare non ſinimur, omnem omnino libertatem arbitrij ad bonum morale faciendum, ita periiſſe, ut nullum omnino opus moraliter bonum, ſine vera propriéq; dicta Gratia poſſit facere: ut propterea arbitrium ante Gratiam illam, non ſit liberum à peccando abſtinere, ſed quocunq; ſe verterit, hic & nunc in ſingulis actibus quâdam humanis viribus inſolubili peccandi neceſſitate teneatur. Et cùm hoc ſit capitalis veritas Auguſtini contra Pelagianos, injuriam facit Chriſti Gratiæ, qui oppoſitum ſentit & docet. De ſtatu naturæ lapſæ lib. 4to. cap. 18vo. & lib. 3tio. cap. 15to. Coincidit cum Bajana 65ta.

XXI. Sola neceſſitas coactionis repugnat libertati. Libero, ſola prementis, cogentiſq; neceſſitatis violentia, repugnat. De Gratia Salvatoris lib. 6to. cap. 6to. & cap. 12mo. Eſt genuina Bajana 66ta.

XXII. Libertas arbitrij in peccando, cum peccandi neceſſitate conſiſtit. De ſtatu naturæ lapſæ lib. 4to. cap. 19no. Bajus idem docuit in ſua Propoſitione 67ma.

XXIII. Sola abſentia Fidei ſufficit, ut omnia opera infidelium vera ſint peccata. De ſtatu naturæ lapſæ lib. 4to. cap. 3tio. Idem ſonat Propoſitio Bajana 68va.

XXIV. Ex ipſis terminis crudelitatem ſpirat & injuſtitiam, animam innocentem nulli peccato obnoxiam ad miſerias ſtatûs præ-

sentis condemnare. De statu naturæ puræ lib. 3tio. cap. 13tio. Coincidit cum Bajana 72.

XXV. Mors nequit innocenti creaturæ sine merito præcedentis iniquitatis à DEO infligi. De statu naturæ puræ lib. 3tio, cap. 1mo. Convenit cum Bajana 78va.

Præter has 25. Propositiones, possent facilè plures Bajano-Jansenisticæ recenseri; sed hæ abundè sufficiunt ad demonstrandum, Jansenium fuisse multùm injuriosum in Summos Ecclesiæ Pastores: nec video, quomodo cum defensione tot Bajanarum Propositionum damnatarum, cohæreat illud, quod scripsit tomo 2. sui Augustini lib. 1. cap. 29: *In Romana Sede Successorum B. Petri incorrupta Patrum servatur hæreditas: quodcunq; à Christi Vicario præscriptum fuerit, teneo: quidquid improbatum, improbo: damnatum, damno.*

Si quæras. Cur illas 25 omnes recensitas Propositiones Jansenij non damnavit expressè Summus Pontifex, sed tantùm 5. illas famosas, de quibus superiùs egimus in 1ma Parte Tractatûs Imi? Respondeo: Quia Episcopi Galliæ numero 85. in suis literis ad Innocentium X. datis, tantùm 5. illas Propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior erat, proposuerunt, obtestando, ut de ijs perspicuam, & certam suam sententiam, ferret. Porrò Elenchum Bajanarum Propositionum, vide infrà in Tractatu Secundo, cap. 2do. Literas verò Episcoporum Galliæ, vide suprà ad finem primæ Partis, Tractatûs primi.



TRA-

TRACTATUS SECVNDVS.

IN QUO

Admirandè erronea Janſeniſtarum convincuntur eſſe Dogmata, Primatui Sancti Petri adverſantia: errorum verò Janſenij & Michaëlis Baji propugnantia. Nec non aliæ Janſeniſtarum admirandæ falſitates, fraudes, impoſturæ, demonſtrantur.

PRæmitto Imo. Janſeniſta primarius, Antonius Arnaldus in lib. de Auctoritate S. Petri & S. Pauli à pag. 53. ſcripſit: *S. Paulus æqualis fuit S. Petro in Ratione Capitis Eccleſiæ Romanæ, & totius Eccleſiæ Univerſalis: habebantq; ſinguli plenitudinem poteſtatis Spiritualis, ita, ut neuter ab altero dependeret, & poſſent ſinguli ſeparatim agere, ut Capita Eccleſiæ. Plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ, & Auctoritas ſuprema & indiviſibilis, ut in duobus ſubjectis, potiùs unum Caput, & unum Principem conſtituebat, quàm duos.* Arnaldi errorem ſecutus Queſnellus, ut patet ex Archi-Epiſcopi Mechlinenſis Decreto: quod vide infrà ad initium Tractatûs 3tii, quin inſuper auxit errorem Ægidius de Witte, qui Mechliniæ palàm in convivio funebri 8va Julij 1685. (ut habetur ex declaratione Juridica & jurata 4. teſtium coram Notario, die 11. ejusdem Menſis) auſus eſt dicere: *Jacobus præſedit in conſeſſu Apoſtolorum, & non Petrus; quia hic conſeſſus celebrabatur in Diœceſi Jacobi- Papa non eſt niſi primus Epiſcopus, nec illi competit inter Epiſcopos major poteſtas, vel prærogativa, quàm, quæ competit Plebano vel Paſtori*

Arnaldus, & Queſnellus, aliiq; Janſeniſtæ dicunt, S. Paulum æqualem fuiſſe S. Petro in ratione Capitis Eccleſiæ.

ſtori S. Rumoldi, reſpectu aliorum Paſtorum Parochialium ejuſdem Civitatis. Hi autem, ut certum eſt, non cedunt Paſtori S Rumoldi in ſuis Parochiis, nec ſunt ſubordinati & ſubjecti eidem in Regimine ſuarum Eccleſiarum: Proinde nec alij Epiſcopi, ob paritatem rationis ſubordinati eſſe debent Romano Pontifici, nec eidem tenerentur cedere in ſuis Diœceſibus.

Janſenius cum ſuis, à Bajo hauſit errores.

Præmitto 2dò. Sicut quondam, ex Origene (ſi credimus Janſenio) ſuos venenoſos errores hauſit Pelagius: ſic ex Michaële Bajo ipſe Janſenius: ut conſtat tum ex ſuperius dictis, & infrà ex capite 2do; tum ex Urbani VIII. Bulla Anni 1641. in qua Pontifex declaravit *ex attenta & matura libri, cui titulus: Auguſtinus Cornelij Janſenij, lectione, compertum eſſe, multas ex Propoſitionibus* (Baji) *à Prædeceſſoribus Pio V. & Gregorio XIII. olim damnatas, contineri.* Unde & Janſeniſtæ, Propoſitiones Baji damnatas, acerrimè tuentur. Lucas Veronenſis Baccalaureus Lovanienſis, Janſeniſta, in ſtrena Veritatis, ait: *Defenſores Propoſitionum, Bajo & Janſenio attributarum, nonniſi Auguſtinum & veritatem defendunt.* Et Arnaldus in Apologia pro Janſenio in Præfatione ſcribit: *Propoſitiones Baji, quæ renovantur à Janſenio, continent doctrinam S. Auguſtini. Non poteſt ſine voluntaria excæcatione & portentoſa pertinacia negari, Propoſitiones Baji, quæ reperiuntur in Janſenio, eſſe puncta Capitalia doctrinæ S. Auguſtini.* Queſnellus (ut teſtatur Eleutherius Theologus eximius in eruditiſſimo volumine ſuo, cui titulus: Hiſtoriæ Controverſiarum de Divinæ Gratiæ Auxilijs) dixit: *Nulla ex Propoſitionibus Baji eſt, quæ non poſſit hodie ſuſtineri ut vera, imò ut ſpectans ad fidem Eccleſiæ.* His præmiſſis ſit

CAPUT I.

ASſero Imò. Admirandè erroneum eſt Dogma dicere cum Arnaldo, Queſnello, & alijs Janſeniſtis: S. Paulum ſimul cum S. Petro, fuiſſe unum Caput Eccleſiæ.

S. Paulum ſimul cum

PRobatur. Tum quia Propoſitio hæc: *S. Petrus & S. Paulus, ſunt unum Caput Eccleſiæ, inter ſe omnimodè æquales, ſine ſubordinatione*

one & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in Regimine Universalis Ecclesiæ, hæc inquam Propositio declarata est hæretica ab Innocentio X. in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Anno 1647. mense Januario Tum, quia absq; ullo solido fundamento contra Auctoritatem Patrum & Doctorum, tribuitur S. Paulo hæc prærogativa Capitis. Tum, quia soli Petro præ alijs Apostolis primo confitenti, JESUM esse Christum Filium DEI, in præsentia eorundem dixit Christus: *Ego dico tibi, quia Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* quibus verbis soli Petro est appromissus Primatus Ecclesiæ, ac Suprema potestas gubernandi eam (ut intelligunt Sancti Patres, Cyrillus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus & alij: ut videre est apud Bellarminum lib. 1. de Pontifice, cap. 10) Item & illis verbis: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & quodcunq; ligaveris super terram, &c.* nomine enim Clavium, denotatur potestas Suprema, juxta illud Isaiæ 22: *Dabo clavem Domûs David super humerum ejus*, ac juxta illud Christi, Apocalypsis 1. *Ego habeo claves mortis & inferni.* Eidemque soli Petro appromissam contulit Supremam potestatem, dicens specialiter illi soli: *Pasce Oves meas.* Quam etiam Supremam potestatem primarij Ecclesiæ fundamenti post Christum, & visibilis Capitis totius Ecclesiæ exercuit Petrus in Electione Mathiæ, colligendo in unum tanquam Paterfamilias cœtum Discipulorum, & unum eligendum esse docens in locum Judæ: Actorum 1. Exercuit item in Electione primorum Diaconorum: Actorum 6to. In definitione Controversiæ de legalibus: Actorum 15. Primus enim Petrus in Concilio illo loquitur, ejusq; Sententiam, S. Jacobus aliiq; omnes sequuntur, quos Suâ Auctoritate convocaverat. Unde & Sanctus Chrysostomus Homilia 3tia in Acta, dicit: *Meritò Petrus, primus omnium, Authoritatem usurpat in negotio, ut, qui omnes habeat in manu: ad hunc enim dixit Christus: Et tu aliquando conversus, confirma Fratres tuos.*

S. Petro, non fuisse unum Caput Ecclesiæ, probatur multipliciter.

Confirmatur Assertio, Imò, Auctoritate Patrum, qui S. Petrum disertè præferunt S. Paulo. In illa enim verba S. Pauli ad Galatas 1. *Post annos tres, ascendi Hierosolymam, videre Petrum.* S. Ambrosius ait: *Dignum fuit, ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum.* Et S. Hieronymus:

mus: *Venit Paulus videre Petrum, non ut oculos, genas, vultumq́ ejus aspiceret, utrum macilentus, an pingvis, adunco naso esset, an recto, & utrum frontem vestiret coma, an (ut Clemens in Periodis ejus refert) calvitiem haberet in capite; Nec puto Apostolicæ fuisse gravitatis, ut tantam triennij præparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aspicere- sed honoris priori Apostolo deferendi.* S. Chrysostomus Homilia 87. in Joannem: *Quia Petrus erat Os Apostolorum, & Princeps, propterea Paulus eum visurus ascendit.* Oecomenius, antiqvus Græcus Scriptor in illum locum ad Galatas 1, dicit ascendisse Paulum in Hierusalem, ut videret Petrum tanquam se majorem. S. Thomas 2. 2. q 23 art: 4. ad 2. ait: *Paulus erat subditus Petro.*

Confirmatur 2dò. Quia Sancti Patres agendo de Primatu & Capite Ecclesiæ, solius Petri mentionem faciunt. S. Cyrillus Alexandrinus in Thesauro, ut citatur à Divo Thoma in Opusculo contra Græcos: *Nulli* (inquit) *alii, quàm Petro, Christus suum sceptrum Ecclesiæ commisit, ipsi soli dedit.*

S. Basilius serm. de Judicio DEI: *Beatus Petrus cæteris prælatus Discipulis fuit, cui claves Regni Cœlestis commissæ.*

S. Optatus, Episcopus Milevitanus lib. 2. contta Parmenianum: *Pêtrus Caput omnium Apostolorum, in quo uno Cathedræ Unitas servatur: in ea sedit primus Petrus, succedit Linus, Lino Clemens, &c.*

S. Epiphanius hæresi 51: *Petrum elegit Christus, ut dux esset Discipulorum.*

S. Augustinus lib. 2. de baptismo cap. 1. *In Apostolo Petro primatus Apostolorum excellenti Gratia præeminet.*

S. Chrysostomus Homilia 55. in Matthæum: *Ecclesiæ Pastor, & Caput, Petrus, Homo piscator, atq́ ignobilis.*

S Leo serm. 3. de Assumptione sua ad Pontificatum: *De toto mundo unus eligitur Petrus, qui & universarum Gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisq́ Pastoribus Ecclesiæ, præponatur: ut quamvis in populo DEI, multi Sacerdotes sint, multiq́ Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

S. Gregorius Magnus, Epist. 32 ad Mauritium: *Cunctis Evangelium Scientibus liquet, quòd beatissimo, & omnium Apostolorum Principi, Petro, Dominicâ voce, totius Ecclesiæ cura commissa est- Ei cura totius*

Ecclesiæ, & Principatus tribuitur.

Gregorius IX, Anno 1232. 7mo Calendas Augusti, in sua Epistola, data ad Germanum Patriarcham Constantinopolitanum habet hæc: *Inter Apostolos, primus & præcipuus Petrus, Primas Primatum-Paulus in Petro Auctoritatis Officium recognoscens, ad eum tanquam Primatem, & Evangelij Dominici fontem venit Hierosolymam: & postmodum cum ipso & alijs, secundùm revelationem contulit Evangelium, ne in vacuum curreret, vel etiam cucurrisset. Quod iterum ex Verbo Domini confirmatur, cum ipsi soli, oves suas indistinctè committit- Petrus claves Regni Cælestis in terris solus accepit: Cùm unus sit Dominus, una Fides, unum baptisma, unum Principium, unum Corpus Ecclesiæ militantis: & Corpus cum pluribus capitibus monstrosum, & sine capite, acephalum censeretur.*

Gregorius XV. in sua Bulla edita Anno 1622. dicit: *Petrus alijs præstabat prærogativâ Principatûs, & cui injunctum fuerat à Domino, ut pasceret Oves suas.* Idem docuerunt Concilia, Lugdunense, Florentinum &c.

Nonne ergò admiratione plenum, à Quesnello, & quidem Oratorij Nominis JESU Presbytero, Arnaldo, & alijs quibusdam Jansenistis, qui se Orthodoxos profitentur, eam Propositionem totis viribus propugnari ut veram, quæ repugnat Scripturæ Sacræ, Sanctis Patribus, & Concilijs, estque certò hæretica, siquidem eam esse talem, ex Cathedra loquens declaravit & definivit Summus Pontifex, hancq; declarationem & definitionem approbavit Orbis universus orthodoxus.

Ad solutionem objectionum in contra.

Ex S. Pauli Epistolis, & Patribus, nibil evincitur contra nostram Assertionem

NOta Imò. Ex illis verbis Divi Pauli 2. Corinth. 11. *Existimo me nihil minùs fecisse à magnis Apostolis.* Non rectè Calvinistarum Antesignanus Beza argumentatur apud Cornelium à Lapide sic: Si in nullo Paulus inferior est eximijs Apostolis, ergò nec Petro in potestate & auctoritate, proinde quò ad omnia fuit æqualis Petro. Respondetur enim, S. Paulum locô citatô non agere de Primatu & Auctoritate, sed tantùm voluisse significare, se in nullo eorum, quæ ibidem versu præcedenti & versu 22. enumerat, cedere ulli:

ulli: Nempe in Prædicatione Christi, in donatione Spiritûs, in sinceritate Evangelij, in laboribus & in gratijs Apostolicis.

Nota 2dò. S. Paulus scribens ad Galatas 2. vers: 6to. *Mihi, qui videbantur esse aliquid* (videlicet Petrus, Joannes, & Jacobus primarij Apostoli) *nihil contulerunt.* Non significat, se non fuisse inferiorem Petrô; sed tantùm vult, se instar aliorum Apostolorum doctrinam suam & Evangelium accepisse immediatè à Christo: ut innuit cap. 1mo: *Evangelium* (inquit) *quod evangelizatum est à me, non est secundùm hominem: neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per revelationem JESU Christi.* S. Paulus, antonomasticè vocatur Apostolus: non quòd fuerit major vel æqualis in potestate vel auctoritate S. Petro: verùm quia, ut dicit S. Augustinus lib. 3. ad Bonifacium cap. 3: *Pluribus est Epistolis notior, & plus omnibus Apostolis laboravit.*

Nota 3tiò. Si objiciatur: S. Paulus, ut habetur ad Galatas 2do, in faciem, seu palàm restitit S. Petro. Ergo fuit ei saltem æqualis: præsertim cùm dicat hic S. Ambrosius: *restitit ei ut par.* Respondendum est, Negando Consequentiam. Inferior enim, licèt judiciariè non possit corripere suum Superiorem, potest tamen corripere fraternè cum humili charitate. Idq; ex hoc ipso exemplo Pauli docet S. Augustinus Epist: 19. ad Hieronymum: *Rarius*, inquit, *& sanctius exemplum Petrus posteris præbuit, quo non dedignarentur à posterioribus corrigi, quàm Paulus, quo confidenter auderent minores majoribus pro defendenda Veritate salvâ charitate resistere.* Et S. Gregorius Magnus Homilia 18va in Ezechielem: *Tacuit Petrus, ut, qui primus erat in Apostolatûs culmine, primus esset in humilitate.* S. Paulus fuit (ut sapienter advertit S. Thomas 2. 2. q. 33. art. 4.) aliquomodo par Divo Petro, quantum ad Fidei defensionem: quoad Regimen verò Ecclesiæ totius, fuit subditus Petro. Dum in eadem Epistola scribit S. Paulus: *Quibus nec ad horam cessimus subjectione.* loquitur de falsis fratribus, seu Pseudo-Apostolis, qui, ut ait ibidem: *Subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo JESU* (id est per Christum in Christi Fide & Ecclesiæ) *ut nos in servitutem redigerent.* Subjiciendo nempe nos judaizantibus. S. Epiphanius hæresi 27. ponendo in Catalogo Romanorum

Ponti-

Pontificum insimul S. Petrum & S. Paulum. S. Irenæus item lib. 3. cap. 3. S. Paulum, vocando Collegam S. Petri: Solùm volunt, quòd in Ecclesia Romæ fundanda, S. Petrum adjuverit Divus Paulus, & ex ejusdem Consensu, munia ibidem Episcopalia exercuerit, cum eodemq; ibidem Martyriô coronatus.

CAPUT II.

ASsero 2dò. Admirandè erroneum Quesnelli, & quorundam aliorum Jansenistarum, est Dogma hoc: Nulla ex Propositionibus est Michàëlis Baji, quæ non possit hodie sustineri ut vera: imò ut spectans ad Fidem Ecclesiæ.

Propositiones Baji, non possunt sustineri.

PRobatur. Tum, quia inter Probationes Baji, sunt etiam hæ: *Pelagij est Sententia, DEUM homini nihil impossibile præcepisse. Sola violentia repugnat libertati. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit. &c:* Has autem Propositiones esse hæreticas, definiverunt Summi Pontifices, Innocentius X, Alexander VIII, Clemens XI. damnando Propositiones Jansenii: demonstratumq; in superiori Tractatu, dictas Propositiones opponi Scripturæ Sacræ, Concilijs, & Patribus. Tum, quia S. Pius V, Gregorius XIII, Urbanus VIII. omnes Propositiones Baji stricto coram se examine ponderatas, tanquam Judices causarum Fidei, ex potestate definiendi atq; defendendi Articulos Religionis Orthodoxæ, *svadente maximè Fidei Catholicæ conservatione*, ut loquitur Gregorius XIII. in sua Constitutione, Omnes inquam Propositiones Bajanas, in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, ut hæreticas, erroneas, &c: damnârunt Suis Constitutionibus, quas, omnes Academiæ Orbis Christiani approbârunt & approbant: quin Facultas Theologica Lovaniensis, *ad perpetuam rei memoriam, sancitum voluit, ut studiosè omnes illas Propositiones in graduum susceptione, abjurare, & Magistri, Professoresq; omnes ab ijs docendis, defendendis, asserendisq; abstinere, & diversam atq; oppositam doctrinam tradere jubeantur.* Cui Decreto omnes ad unum Facultatis Doctores manu propriâ tunc subscripsêre, hodieq; etiam apud illos viget,

Ipsemet Bajus suas Propositiones damnat.

viget, & jurejurando constringit. Tum, quia ipse Bajus, licèt initio post Bullam S. Pii V. contra suas Propositiones latam, ausus fuerit palàm dicere, quòd pro illis Suis propositionibus deberemus mori potiùs, quàm eas damnare; tamen postquam Nova Constitutione Bullam supradictam confirmavit Gregorius XIII, ab eodem missus Lovanium Anno 1580. Noster Pater Franciscus Toletus, Sacrâ dein donatus Purpurâ, ad saniorem mentem reduxit Bajum, & ita eum Erroris convicit, ut in frequenti Doctorum consessu profiteretur damnari in Bulla Propositiones multas, quæ in suis libellis impressis continebantur (aliquæ enim Propositiones solùm vivâ voce erant ab eo assertæ, vel discipulis in schola dictatæ) etiam in eo sensu, quò in Bulla damnabantur, easq; & reliquas ibi comprehensas à se damnari secundùm Bullæ ipsius intentionem. Triduoque pôst, misit Romam hujus sui facti Declarationem ritè perscriptam & suo nomine obsignatam, quam vide infra in Notato 4to. Nicolaus Magniensis ex relatione Toleti, addit dixisse Bajum: Malle se porcos pascere, quàm ulla in re, Romani Pontificis judicio repugnare: ut refert Cardinalis Sfondrati in Gallia vindicata Dissert. 4ta. Itáne ad Fidem Ecclesiæ spectat ea approbare ut vera, quæ Summi Pontifices & ipsemet Bajus, universaque Ecclesia Orthodoxa cum omnibus suis Academijs, Universitatibus, indubitanter assèrit esse respectivè erronea, scandalosa, hæretica? &c. Quis Orthodoxorum hæc accuratè perpendens non miretur à Quesnello, Presbytero Oratorij Nominis JESU, qui se Romano-Catholicum esse profitetur, propugnari pluribus erroribus gravibus scatentem Propositionem illam?

Auctoritas Bullæ Pontificiæ damnantis Propositiones Bajanas, firmatur adver-

Neq; dicas. S. Pius V. in Sua Bulla manu scripta, & ad Bajum missa, enumeratis Propositionibus Bajanis, dicit quidem hæc: *Quas quidem Sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possint, in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas, erroneas, &c: præsentium Auctoritate damnamus.* Sed post illa verba: *sustineri possint* non habetur comma, seu virgula, proinde sensus erit: Ex illis Propositionibus nonnullas aliquo pacto sustineri posse in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento. Quare frustra ex Bulla S. Pii V. & Gregorij XIII. ejusdem Bullæ confirmatione potest probari Assertio nostra.

Non

Non dicas, inquam. Contra enim est 1mo. Quia sic intelligendo verba Bullæ, Pontifex significaret se damnare, circumscribere, abolere nonnullas Propositiones, quæ tamen in rigore ac proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, sustineri possint ac veræ sint. Quô quid injustius & imprudentius? Contra est 2dò. Quia positâ tali Janseniana explicatione, possent omnes omnino Propositiones Baji, rectè, post damnationem defendi: siquidem de nulla in particulari determinatur, quòd non possit in rigore & proprio verborum sensu sustineri. Ad quid ergo lata est Bulla S Pii V.? Cur item Innocentius X. damnavit librum Jansenij ea nominatim de causa, quòd multas ex Propositionibus Baji damnatis, defenderet? Contra est 3tiò. Quia Anno 1644. jussu Urbani VIII. & Officij Sacræ Inquisitionis Generalis, exemplar Bullæ Pianæ transscriptum cum eo commate, prout in Archivo Congregationis S. Officij, & in Matrice Actorum continetur, consignatum fuit cum Mandato Apostolico, quòd ei Exemplari Fides adhiberetur: ut proinde ampliùs dubitari non possit de sensu Bullæ & mente Pontificis. Concedo, in Bulla manu scripta, missa ad Bajum, comma ibi non haberi, sicut nec alia interpunctio: moris enim est in Curia Romana, cùm aliquid manu describitur, omnes interpunctionum notas omittere. Accidit enim, quòd dum Urbanus VIII Bullam hanc S. Pii V. & Gregorij XIII. confirmaret, & in sua Constitutione eam per extensum insereret, comma illud tanti momenti à Typographo, per oscitantiam positum non fuerit: Romæ tamen Anno 1641. & in Belgio, Bulla illa impressa fuit cum debitis interpunctionibus: Eminentissimus etiam Cardinalis de Lugo testatus est, 2da Octobris 1644: Vidisse se primum Authographum originale Bullæ Pii V. non in regestro, in quo à Scriptoribus Apostolicis, Bullæ describuntur, in quo nullæ solent interpunctiones apponi; sed in ipso Authographo illius Cardinalis, qui jussu ejusdem S. Pii, Bullam concepit & extendit secundùm mentem Pontificis, & inspexisse diligenter, quomodo se haberent interpunctiones in contextu ipsius Censuræ, ac deprehendisse, quòd post illa verba: *quanquam nonnullæ earum aliquo pacto sustineri possint* ante illa alia, quæ immediatè seqvuntur *in rigore & proprio verborum sensu*, interpositum erat comma, seu virgula disjunctiva eorundem verborum. Ita refert

sùs sinistras & temerarias expositiones Jansenistarum.

P.

P. Martinez de Ripalda, in Procemio sui Operis adversus Articulos Baji damnatos.

Verùm, licèt nulla in manuscripta Bulla fuerit interpunctio & semel in impressa omissum fuerit illud comma, tamen per se satis manifestum est, comma illud desiderari. Exemplar Diplomatis Gregorij XIII Anno 16[illegible]. confirmantis Constitutiones S. Pij V. Prædecessoris sui contra Propositiones Bajanas ab iisdem proscriptas & damnatas habes ad calcem hujus capitis.

Ad meliorem intelligentiam dictorum.

Non omnis amor, si non sit DEI propter se, est peccatum.

Nota Imò. Falsum est illud Baji principium: quòd omnis amor, qui non est DEI propter se, sit vitiosa cupiditas, & peccatum. Ratio est. Tum, quia Tridentinum Sess. 6ta. Cano: 31. & cap. 11. ejusdem Sessionis, damnat hæreticos, qui docebant, peccatum contineri, dum quis intuitu æternæ mercedis benè operatur. Tum, quia sæpè scriptura & Patres, nos excitant ad bene operandum intuitu mercedis. Apocalyp: 2do: *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi Coronam vitæ.* S. David de se Psal: 118: *Inclinavi cor meum ad faciendas Justificationes tuas in æternum propter retributionem.* S. Augustinus in Psal: 120: *Noli facere bonum opus nisi propter vitam æternam, ideò fac, & securus facies.*

S. Augustinus nihil docuit, huic oppositum.

Nota 2dò. Si objiciant Bajani & Jansenistæ ex S. Augustino Textus hos in Psal: 108. *Qui noluerit servire Charitati, necesse est, serviat iniquitati.* Enchiridij cap. 107. *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Charitas.* Tractatu 3tio in Joannem: *Nemo habet de suo, nisi peccatum & mendacium.* Lib. de Spiritu & litera cap. 3. *Neq; liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via.* Si inquam hi Textus opponantur. Respondendum est: In 1mo & 2do textu intelligit Divus Augustinus, nomine charitatis, charitatem latè sumptam, quæ complectitur amorem omnium virtutum moralium, quatenus ex charitate latè sumpta fluit reliquarum virtutum amor, juxta illud ad Rom: 10: *Plenitudo legis, est dilectio.* & illud Christi Domini Joann: 15: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Nomine verò cupiditatis, non intelligit quemlibet amorem Creaturæ, sed cupiditatem malam. Unde lib. 80. quæstionum, q. 30. di-

dicit: *Aliud est Charitas, radix omnium bonorum: aliud Cupiditas, radix omnium malorum, tantùmq; inter se differunt, quantùm virtus & vitium.* In 3tio & 4to Textu Augustinus solùm vult, peccatum esse ita proprium nostrum, ut nullo modo sit DEI Auctoris: Bajus verò vult omnes deliberatas Actiones, quæ absq; Supernaturali Gratia DEI fiunt, esse peccata. Quod est erroneum. Hoc tamen certum, quòd nullus liberô arbitriô potest uti, ut oportet, ad vitam æternam obtinendam, sine Gratia Supernaturali.

Nota 3tiò Propositio illa Baji 73. in qua dicitur: Beatam Virginem contraxisse peccatum originale: damnatur non propter nudam Assertionem de Conceptione Beatæ Virginis in peccato originali, ut benè advertit Suarez cum pluribus, sed propter Generalem modum asserendi omnes afflictiones, quas in hac vita passa est B. Virgo, fuisse ultiones peccati Actualis vel originalis: Multæ enim afflictiones ordinantur à DEO ex speciali Providentia, non propter peccata admissa, sed ad tentationem seu probationem patientiæ: sicut Tobiæ dictum est ab Angelo, & à fortiori contigit Jobo: vel propter Gloriam DEI, ut de cœco dixit ipsemet Christus Joan: 9no. Quare multò magis damnabile est, hoc tribuere B. Virgini: & quod gravius est, de illa dicere sub disjunctione: *Propter peccatum Actuale vel Originale,* quasi in dubium revocando, an peccatum Actuale non commiserit.

Non omnes afflictiones quas B. Virgo in hac vita passa est, erant ultiones peccati Actualis vel Originalis?

Nota 4tò. Professio Michaëlis Baji missa Romam Anno 1580. est hæc: *Ego Michaël de Baÿ, Cancellarius Universitatis Lovaniensis, agnosco & profiteor, me ex varijs colloquijs & communicationibus habitis cum R. P. D. Francisco Toleto Concionatore Suæ Sanctitatis, & ad hanc rem specialiter misso, super diversis Sententijs & Propositionibus, jam olim à Sanctissimo Domino Nostro Pio V. felic. record. sub data Calendarum Octobris Anno 1567 & nuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo, sub data 4to Calend. Februarij Anno 1579: iteratò damnatis & prohibitis, ita motum & eò perductum esse, ut planè mihi habeam persvasum, earum omnium Sententiarum damnationem atq; prohibi-*

Professio Michaëlis Baÿ.

bibitionem, jure, meritoq; ac nonnisi maturô judiciô, & diligentissimâ excussione præmissis, factam atq; decretam esse. Fateor insuper, plurimas ex ijsdem Sententijs, in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam Sedis Apostolicæ super ijs Censuram conscriptis & in lucem editis, contineri & defendi, etiam eo sensu, in quo reprobantur. Deniq; declaro, me in præsentiarum ab ijs omnibus recedere, & damnationi à Sancta Sede factæ acquiescere, neq; posthac ullas docere, asserere, aut defendere velle. Datum Lovanij die 24. Martij Anno 1580.

Michaël de Baij.

Bulla damnativa Propositionum Baij, qualiter edita?

Nota 4tò, ex P. Ripalda superiùs citato, Bullam damnativam Propositionum Baji 1mum à Pontificibus editam esse absq; ordine & numero Propositionum, quas damnant, ut constat ex primis ejus exemplaribus impressis Romæ Anno ab Incarnatione 1579. 4ta Februarij, quorum unum penes nos est (inquit Ripalda) in quo articuli omnes sine numeris proponuntur. Deinde tamen à Theologis transscripta fuit adjectis numeris, ut eò possent commodiùs citari seorsim Propositiones, quas in Disputationibus adducerent. Quia verò à nonnullis eadem Propositio Hypothetica & composita, dividitur in plures, ideo in áliquibus Exemplaribus major, in alijs verò minor Propositionum numerus, & consequenter in eis referendis nonnulla varietas & confusio apud Scriptores reperitur: quin & aliqua varietas verborum in ijs Propositionibus. Cùm autem P. Ripalda censeat suum Exemplar esse omnium correctissimum, ex eo, quia est conformius literis Originalibus Pontificum: cùm ex Bulla 1mum edita Romæ, quæ apud nos extat (inquit ille) fideliter transsumpta sit, atq; conformiùs sit scriptis Michaëlis Baji, cum quibus est collata, ideo copiam illius Exemplaris hic apponimus, prout reperitur apud P. Joannem Martinez de Ripalda Soc. JESU, olim in Academia Salmaticensi Professorem Primarium, postea in supremo Senatu Inquisitionis Generalem Fidei Censorem, Tomo 3. adversùs Articulos Bajanos in procemio Operis, Disputatione 1mâ.

GRE-

GREGORIUS Episcopus, Servus Servorum DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

Bulla S. Pij V. & Gregorij XIII. contra Propositiones Bajanas.

PRovisionis nostræ debet provenire subsidio, ut ea, quæ à Prædecessoribus Nostris emanârunt, suadente maximè Fidei Catholicæ conservatione, ubicunq; ipsis opus est, producantur. Quare Nos tenorem literarum felic. record. Pii V. Papæ Prædecessoris Nostri in ejus Regestro repertum, describi, & præsentibus annotari fecimus, qui talis est:

PIUS Episcopus Servus Servorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam. *Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christiq; populus, antiqui hostis suggestione dissectus, in alios atq; alios errores passim & promiscuè deferatur. Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illi simul atq; prosiliunt, penitus opprimantur: magno enim mœrore afficimur, quòd pleriq; spectatæ alioquin probitatis & doctrinæ, in varias Sententias offensionis & periculi plenas, tum verbò, tum scriptis prorumpunt, deq; eis etiam in scholis invicem controversantur, cujusmodi sunt sequentes:*

I. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, rectè vocantur Gratia.

II. Sicut opus malum ex Natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus, ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

III. Et bonis Angelis & primo homini, si in statu illo permansissent usq; ad ultimum vitæ, felicitas esset merces & non Gratia.

IV. Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

V. In promissione facta Angelo & primo homini continetur natu-

naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus, sine alio respectu vita æterna justis promittitur.

VI. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

VII. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ, non rectè vocantur Gratiæ; quo fit, ut tantùm merita, non etiam Gratiæ debeant nuncupari.

VIII. In redemptis per Gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

IX. Dona concessa homini integro & Angelo, forsitan non improbandâ ratione possunt dici Gratia, sed quia secundùm usum Scripturæ, nomine Gratiæ tantùm ea munera intelliguntur, quæ per JESUM malè merentibus & indignis conferuntur, ideo neq; merita, nec merces, quæ illis redditur, Gratia dici debet.

X. Solutionem pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpè manet, & corporis resurrectionem propriè nonnisi meritis Christi adscribendam esse.

XI. Quòd piè & justè in hac vita mortali usq; in finem conversati, vitam consequimur æternam, id non propriè Gratiæ DEI, sed ordinationi naturali, statim initio creationis constitutæ justo DEI Judicio deputandum est; nec in hac retributione bonorum, ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam Institutionem generis humani, in qua, lege naturali institutum est, ut justô DEI Judiciô obedientiæ mandatorum, vita æterna reddatur.

XII. Pelagij Sententia est: Opus bonum citra Gratiam adoptionis factum, non est Regni Cælestis meritorium.

XIII. Opera bona à Filijs adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum DEI, sed tantùm ex eo, quòd sunt conformia legi, quodq; per ea præstatur obedientia legi.

XIV. Opera bona justorum non accipient in die Judicij extremi ampliorem mercedem, quàm justô DEI judiciô mererentur accipere.

XV. Dicit rationem meriti non consistere in eo, quòd, qui benè

benè operatur habeat Gratiam & inhabitantem Spiritum Sanctum, ſed in eo ſolùm, quòd obedit Divinæ legi: quam Sententiam ſæpiùs repetit, & multis rationibus probat ferè toto libro.

XVI. In eodem libro ſæpius repetit: Quòd non eſt vera legis obedientia, quæ ſit ſine charitate.

XVII. Dicit ſentire cum Pelagio, qui dicunt eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per Gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.

XVIII. Dicit opera Catechumenorum, ut Fidem & pænitentiam ante remiſſionem peccatorum factam, eſſe vitæ æternæ merita, quam vitam non conſequentur Catechumeni, niſi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

XIX. Videtur inſinuare, quòd opera juſtitiæ & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit ex dignitate Perſonæ operantis, non traxerint majorem valorem.

XX. Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pænam æternam.

XXI. Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium Divinæ Naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.

XXII. Cum Pelagio ſentiunt, qui Textus Apoſtoli ad Rom.2. *Gentes, quæ legem non habent naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt*, intelligunt de Gentibus, Fidei Gratiam non habentibus.

XXIII. Abſurda eſt eorum Sententia, qui dicunt, hominem ab initio donô quodam Supernaturali gratuitôq; ſupra conditionem naturæ fuiſſe exaltatum, ut Fide, Spe, Charitate DEUM ſupernaturaliter coleret.

XXIV. à Vanis & otioſis hominibus ſecundùm inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt Sententia, hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita, fuerit largitate Conditoris ſublimatus, & in DEI Filium adoptatus.

XXV. Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.

XXVI. Integritas primæ Creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio; quam Sententiam

repetit & probat per plura Capitula.

XXVII. Liberum Arbitrium sine Gratiæ DEI adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

XXVIII. Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

XXIX. Non solùm fures ij sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant, sed etiam quicunq; aliunde, quàm per Christum in viam justitiæ, hoc est ad aliquam justitiam conscendi posse dicunt.

XXX. Aut qui docent, tentationi ulli sine Gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic, ut in eam non inducatur, aut ab ea superetur.

XXXI. Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & Fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

XXXII. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta, cum remissione peccatorum.

XXXIII. Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata DEI observat, ac legem implet per Charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur.

XXXIV. Distinctio illa duplicis amoris naturalis videlicet, quô DEUS amatur ut Auctor naturæ, & gratuiti, quô DEUS amatur ut Beatificator, vana est commentitia & ad illudendum sacris literis & plurimis veterum testimonijs excogitata

XXXV. Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatũ est.

XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.

XXXVII. Cum Pelagio sentit, qui bonum aliquod naturale, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

XXXVIII. Omnis amor Creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur: aut laudabilis illa Charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ DEUS amatur.

XXXIX. Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit.

XL. Suis Actibus peccator servit dominanti cupiditati.

XLI. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solùm nomen libertatis á peccato.

XLII. Justitia, quâ justificatur per Fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum Justitia, non autem in Gratia aliqua, animæ infusa, quâ adoptatur homo in filium DEI, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac Divinæ Naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus deinceps bene vivere, & DEI Mandatis obedire possit.

XLIII. In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis, ante baptismum est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.

XLIV. Operibus plerisque quæ à fidelibus fiunt, ut mandatis DEI pareant, cujusmodi sunt, obedire Parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientiæ & veræ legis Justitiæ, non tamen ijs obtinent incrementa virtutum.

XLV. Sacrificium Missæ non aliâ ratione est sacrificium, quàm Generali illâ, quâ omne opus, quod fit, ut Sanctâ Societate DEO homo inhæreat.

XLVI. Ad rationem & definitionem peccati, non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium?

XLVII. Unde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

XLVIII. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eò, quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

XLIX. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erat, actualiter DEUM odio habeat, DEUM blasphemet, & legi DEI repugnet.

L.

L. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præceptô: *Non concupisces.*

LI. Concupiscentia sive lex membrorum, & prava ejus desideria, & (quæ inviti sentiunt) hominis, sunt vera legis inobedientia.

LII. Omne scelus, ejus est conditionis, ut suum Auctorem & omnes posteros, eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

LIII. Quantum est ex vi transgressionis, tantùm meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitijs, quàm qui cum majoribus.

LIV. Definitiva hæc Sententia, DEUM homini nihil impossibile præcepisse; falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagij sit.

LV. DEUS non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

LVI. In peccato, duo sunt, Actus & reatus: transeunte autem Actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pænam.

LVII. Unde in Sacramento Baptismi aut Sacerdotis absolutione propriè reatus peccati duntaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.

LVIII Peccator poenitens non vivificatur ministeriô Sacerdotis absolventis, sed à solo DEO, qui poenitentiam suggerens & inspirans, vivificat eum, & resuscitat, ministeriô autem Sacerdotis, solus reatus tollitur.

LIX. Quando per eleemosynas aliaq; pietatis opera, DEO satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium DEO pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant: nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte redemptores; sed aliquid facimus, cujus intuitu, Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur.

LX. Per passiones Sanctorum in Indulgentijs communicatas, non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretiô sangvinis Christi à poenis pro peccatis debitis, liberemur.

LXI. Celebris illa Doctorum distinctio, Divinæ legis Mandata bifariam impleri; altero modo, quantum ad præceptorum operum sub-

ſubſtantiam tantùm: alterum, quantum ad certum quendam modum, videlicet ſecundùm quem valeant operantem perducere ad Regnum æternum, hoc eſt, ad modum meritorum, commentitia eſt & explodenda.

LXII Illa quoq; Diſtinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumſtantijs rectum eſt & bonum, quod moraliter bonum appellari conſuevit; vel quia eſt meritorium Regni æterni, eò, quòd fit à vivo Chriſti membro per Spiritum Charitatis, rejicienda putatur.

LXIII. Similiter & illa Diſtinctio duplicis Juſtitiæ: alterius, quæ fit per Spiritum Charitatis inhabitantem: alterius, quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ Divinæ Legis juſtificatio impleatur, odioſiſſima & pertinaciſſima rejicitur.

LXIV. Deniq; & illa Diſtinctio duplicis vivificationis, alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propoſitum, & inchoatio per DEI Gratiam inſpiratur: alterius, quâ vivificatur, qui verè juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſto efficitur, commentitia judicatur, & Scripturis minimè congruens.

LXV. Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrij bonus, ſive non malus, & Gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit & docet.

LXVI. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

LXVII. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit.

LXVIII. Infidelitas purè negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.

LXIX. Juſtificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem & inſpirationem Gratiæ, quæ per eam juſtificatos facit implere Legem.

LXX. Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram Charitatem, & Charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.

LXXI. Per Contritionem etiam cum Charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen ex-

tra casum necessitatis, aut Martyrij, sine actuali susceptione Sacramenti.

LXXII. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde Job & Martyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt.

LXXIII. Nemo præter Christum est absq; peccato Originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati Actualis vel Originalis.

LXXIV. Concupiscentia in renatis, relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alij habitus pravi.

LXXV. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto; *Non concupisces:* unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum: *Non concupisces:* quamvis transgressio peccatum non deputetur.

LXXVI. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum; *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo.*

LXXVII. Satisfactiones laboriosæ Justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

LXXVIII. Immortalitas primi hominis, non erat Gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

LXXIX. Falsa est Doctorum Sententia, primum hominem potuisse à DEO creari & institui sine Justitia Naturali.

Quas quidem Sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè ac quæcunq; super ijs, verbo scriptoq; emissa præsentium Auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus, deq; eisdem & similibus post hac, quocúnq; pacto loquendi, scribendi, & disputandi facultatem, quibuscunq; interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignita-

gnitatibus, gradibus, honoribus, beneficijs, & officijs perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcunq; decernimus, vinculo quoq; anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto mortis articulo liberare. Cæterum ut jam commoti his de rebus tumultus, & contracta odia faciliùs comprimi possint, simulq; animarum saluti pleniùs consulatur, Dilecto Filio Nostro Antonio tituli S. Bartholomæi in Insula Presbytero Cardinali Granvelano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, ut ipse, quid ad perpetuam dictarum Sententiarum & Scripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujusmodi proloquia & Disputationes, quid deniq; ad Unionem & pacem cum communi omnium & Ecclesiæ Catholicæ satisfactione componendum facto opus sit, inprimis diligenter expendat; Deinde in ijs omnibus, quæ pro communi salute tranquillitate & honore optimum judicaverit, salvâ semper Ecclesiæ prædictæ Unitate, etiam per alium seu alios fide doctrinâ & Religione præstantes otiùs exequatur, faciatq;, quidquid decreverit inviolatè ab omnibus observari. Contra dictores quoslibet, per censuras & pœnas prædictas cæteraq; juris & facti remedia opportuna, appellatione postpositâ compescendo: invocatò etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus, quòd forsitan ab Apostolica Sede sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet alijs Privilegijs, exemptionibus, indulgentijs, & literis Apostolicis specialibus vel Generalibus quorumcunq; tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumq; totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in Nostris literis mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, Decreti, Mandati, Privationis, & innodationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo Calendas Octobris, Pontificatûs Nostri Anno 2do. Cæterum volumus ut earundem literarum tenori hic inserto illa ipsa omnino adhibeatur Fides, ubicunq; & quandocunq; sive in Judicio sive alibi ille fuerit adhibitus vel ostensus, sicut illius Originalibus literis prædictis adhiberetur, si ipsæ exhiberentur vel ostenderentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno 1579: 4to Calendas Februarij, Pontificatûs Nostri Anno VIII.

Urbanus porrò Octavus eandem Constitutionem S. Pii V. & Gregorij XIII, de verbo ad verbum inseruit Suæ Bullæ editæ Anno 1641 quæ incipit: *In eminenti Ecclesiæ militantis Sede meritis licèt imparibus constituti, &c:* illamq; Constitutionem, quoad omnia approbavit.

CAPUT III.

ASsero 2dò. Admirandæ sunt Jansenistarum falsitates concernentes Jansenij doctrinam.

PRæmitto Imò. Universaliter hoc capite & secuturis in hoc Tractatu, nomine *Admirandarum falsitatum*, intelligo ea, quæ Jansenistæ protulerunt, evidenter repugnantia Veritati. Quidni enim mereatur admirationem, ab hominibus aliàs non omnino indoctis,

ac quidem ordinariè in statu spirituali constitutis, qui se toto ore profitentur Romano-Catholicos, tam graviter & manifestæ veritati dissona esse prolata?

Præmitto 2dò. Famosus Jansenista Paschasius Quesnellus protulit, Jansenismum non esse hæresim, sed merum phantasma: ut constat ex Decreto Archiepiscopi Mechlinensis Primatis Belgij, Humberti Gvilhelmi à Precipiano, Anno 1704 lato, hujus Decreti magnam partem vide infra ad initium Tractatûs 3tij. Idem cum Quesnello sensit agens Jansenianæ factionis Romæ, Vallonos, qui in Epistola sua data ad Quesnellum 25. Martij 1702. scribit: *Indignum & intolerabile facinus est, censere Jansenismum, non esse merum phantasma.* Simile quid habet Lucas Veronensis, Baccalaureus Lovaniensis Jansenista in sua strena veritatis pagina 51. *Quesnelli error refertur.*

Præmitto 3tiò. Propositiones Jansenij famosæ illæ quinq;, dum primùm Facultati Theologicæ Parisiensi ad Censuram oblatæ fuerunt à D. Cornet, Facultatis Syndico: dein Innocentio X. nullus Jansenista negavit eas esse Jansenij, sed omni conatu persvadere satagebant, illas esse Catholicas & Augustinianas. Postquam verò Romano fulmine fuêre exustæ, pleriq; Jansenistæ negant eas contineri in aliquo Jansenij libro: ut patet ex Constitutione Alexandri VII, in qua habentur etiam hæc: *Cùm, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis Filij, prædictas quinq; Propositiones, vel in libro Cornelij Jansenij non reperiri, sed fictè & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere, magno cum Christi fidelium scandalo, non reformident; Nos, qui omnia, quæ in re hac gesta sunt, sufficienter & attentè perspeximus, utpote, qui ejusdem Innocentij Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolicâ Authoritate eadem causa discussa est, eâ profectò diligentiâ, quâ major desiderari non posset; quamcunq; dubitationem super præmissis inposterum auferre volentes quinq; illas Propositiones, ex libro præmemorati Cornelij Jansenij Episcopi Iprensis, cui titulus est: Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, definimus & declaramus, & uti tales inustâ scilicet eâdem singulis notâ, quæ in prædicta declaratione & definitione unicuiq; illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus.* His præmissis.

Jansenismus est hæresis.

Probatur Imò. Falsum esse, Jansenismum non esse hæresim, sed merum phantasma. Siccine Jansenismus non est hæresis, cùm Summi Pontifices declaraverint & definiverint Propositiones quinq; Iansenij esse verè hæreticas, easq; pro ejusmodi habeat Ecclesia Orthodoxa? Utiq; illa sententia dicitur hæretica, quæ adversatur Veritati Catholicæ; id est ei, quæ revelata est à DEO & per Ecclesiam credenda proponitur: seu quæ constat vel ex sensu expressô Scripturæ Sacræ, vel ex definitione & traditione communi Ecclesiæ; sed quinque Propositiones Jansenij in 1ma parte Tractatûs 1mi suprà recensitæ, adversantur veritati Catholicæ, ut ibidem demonstratum; ergo sunt hæreticæ. Et certè, si Jansenismus non est hæresis, sed phantasma, tunc pari ratione & temeritate dici etiam posset, Pelagianismum, Semipelagianismum, Lutheranismum, Calvinismum, non esse hæreses, sed mera phantasmata.

Propositiones quinq; Jansenij damnatas contineri in ejus libris, demonstratur.

Probatur 2dò. Falsum esse, Propositiones quinque illas famosas Jansenij non contineri in ullis ejus libris. Evidens enim est haberi eas in Jansenij volumine, cui titulus Augustinus. *Ima.* Nempe: *Aliqua DEI Præcepta, hominibus justis, volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest illis quoq; Gratia, quâ possibilia fiant:* habetur Tomo 3tio lib. 3. de Gratia Salvatoris cap. 13tio, ubi præmissâ quâdam Augustini doctrinâ, ait: *Ex hac indubitata doctrina, quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur & clarescunt. 1mum quidem, esse quædam homini Præcepta secundùm statum & vires, in quibus constitutus est, impossibilia. 2dum. Non adesse semper Gratiam, quâ possimus, hoc est, quâ, illa eadem præcepta implere sufficiamus. 3tium. Hanc impotentiam reperiri, etiam in fidelibus & justis. 4tum. Hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantùm quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt -- Nihil in S. Augustini doctrina certius, ac fundatius, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus, non tantùm infidelibus, excæcatis, & obduratis, sed fidelibus quoq; & justis, volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoq; Gratiam, quâ possibilia fiant. Hoc enim S. Petri exemplô, alijsq; multis quotidie manifestum est, qui tentantur, ultra quam possint sustinere.* Hæc, cùm tam

mani-

manifestè in Jansenio legantur, quâ fronte dici potest, Primam istam ex quinque Propositionibus damnatis, non contineri in libris Jansenij?

Secunda item Propositio, videlicet: *Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* habetur clarè Tomo 3tio lib. 2. de Gratia Salvatoris cap. 25: *Medicinalis* (inquit Jansenius) *Christi Gratia, semper effectum suum infert voluntati.* Et cap. 31. *Vera Christi Gratia, semper agit effectum suum* Lib. 3tio de Gratia Christi fusissimè ait, nullam dari in hoc statu Gratiam sufficientem nisi efficacem, ipsiusq; Libri hujus 3tii, caput 1mum habet Titulum hunc: *Ostenditur nullum dari adjutorium post lapsum, quin simul efficax sit.* Ibidem cap. 4to: *Nulla Christi Gratia, effectu operis, ad quem efficiendum voluntati datur, ullâ voluntatis pervicaciâ frustratur.* Non absimilia habet Jansenius libro 2do de Gratia Salvatoris, capite 2do & alibi.

Tertia item Propositio: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coàctione.* traditur à Jansenio Tomo 3tio lib. 6. de Gratia Salvatoris cap. 6. cui præfigit Titulum hunc: *Duplex necessitas Augustino, coàctionis & simplex, seu voluntaria: illa, non hæc repugnat libertati.* Lib. 4. de Gratia Christi cap. 9. idem dicit. Et lib. 7. ait: *Libertati arbitrij, sola necessitas coàctionis, seu quæ, etsi nolumus, efficit id, quod potest, contraria est: omnisq; actus voluntarius seu spontaneus, est liber.* Lib. 2. de Statu Naturæ lapsæ cap. 2: *Ignorantiam, quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est invincibilem, non carere peccatô, ut Dogma Fidei ab Antiquis traditum, & contrarium solenne Pelagianum Dogma fuit.*

Quarta Propositio: *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos Actus, etiam ad Initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* clarissimè habetur apud Jansenium lib. 8. de hæresi Pelagiana cap. 6to: *In hoc ergo* (inquit) *propriè Massiliensium error situs est, quòd aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo credere posset, si vellet; neuter tamen absq; interioris gratiæ adjutorio, cujus usus vel abusus relictus esset in uniuscujusq; arbitrio & potestate.* Et lib. 2do de Gratia Salvatoris cap. 28vo contra P. Lessium, docentem, posse nos Gratiæ resistere vel obtemperare, uti pridem definivit Concili-

um Tridentinum Sessione 6ta, Canone 4to, invehitur, inquiens: *Quanta audacia? post condemnatos jam à tot sæculis Massilienses* (seu Semipelagianos) *asserere, quòd quia in statu Innocentiæ sufficiebat homini ad salutem Gratia, quâ poterat perseverare, si vellet, etiam nunc sufficiat.*

Quinta demum Propositio: *Semipelagianum est dicere, Christum, pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Nonnè patenter docetur à Jansenio lib. 8 de hæresi Pelagiana cap. 26 & 31; Et nonnè lib. 3. de Gratia Christi cap. 21. dicit: *Nullo modo principijs Augustini consentaneum est, ut Christus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse, sentiatur. Sententia oppositum docens, est machina à Semipelagianis erecta, & ab Ecclesia repudiata.*

Quod idem fusiùs adhuc dixerat, eodem lib. cap. 20. & alibi. Quis non stupeat cœcam impudentiam Jansenistarum acerrimè negantium quinq; illas Propositiones contineri in libris Jansenij, cùm tam evidenter ab eo tradantur, ut demonstratum? asseratq; Alexander VII. in Sua Bulla superiùs in Præmisso 3tiò citata, eam diligentiam, quâ major desiderari non posset, esse adhibitam antequam perventum ad definiendum illas Propositiones esse hæreticas, ac desumptas ex libro Jansenij. Idemque fecêre alij tres Pontifices Romani, Innocentius X, Urbanus VIII, Clemens XI, cum suis pluribus Theologis & Doctoribus, ante decisionem hujus causæ Jansenianæ adhibitis. His perpensis, quis neget omnimodè convenire Jansenistis, quod olim S. Augustinus Tomo 7mo lib. 2do contra Epistolam Parmeniani Donatistarum Carthaginensis Episcopi, Successorisq; Donati hæresiarchæ cap. 3tio scripsit. *Omnium hæreticorum est, rem manifestissimam in luce omnium gentium constitutam, videre non posse.* Et lib. 3tio. Oper. imperf. cap. 61. *Quia tenebras vestras redarguunt, vobis lucida non videntur, & quæcunq; vobis suâ radiante luce molesta sunt contra illa cor clauditis, ne inde nox fugetur erroris.*

Nota 1mò. Supradictus Alexander VII. iteratò easdem cavillationes Jansenistarum damnavit alterô Decretô, Anno 1664, præscribens earum Formulam destructivam, cui omnes Galliarum Ecclesiastici, imperio Pontificis subscribere coacti sunt: Et Rex Christia-

ſtianiſſimus ſpeciali Diplomate, edito 29. Aprilis 1665. efficaciter imperavit illius Mandati Pontificij executionem: Inſuper ſub pœna hæreticis, & quietis publicæ perturbatoribus infligi ſolita ſeverè prohibuit, ne ullus è ſuis ſubditis quidquam ſcribat vel edat, quô doctrinam Janſenij damnatam quomodocunq; directè vel indirectè ſuſtineat, aut renovet, vel Formulæ Præſcriptæ contradicat. Sed non defuêre deinde, qui docerent ſufficere, ſi obſequioſum ſilentium teneatur de illis Propoſitionibus, non requiri autem, ut interiùs tanquam hæreticæ damnentur, poſſeq; licitè ſubſcribi Formulæ ab Alexandro VII. conſtitutæ, etiam ab ijs, qui interiùs non judicant in libris Janſenij hæreſim contineri. Propterea Clemens XI. iterum confirmando Innocentij X. & Alexandri VII Conſtitutiones, damnavit doctrinam hanc Janſeniſtarum. Bullam Clementis hujus XI. in qua continetur Conſtitutio Innocentij X. & Alexandri VII. & Formula præſcripta Juramenti, habes ſuprà in fine imæ Partis Tractatûs imi: ubi inſimul apposui literas Pontificum, Epiſcoporum, Regis edictum, & alia.

Nota 2dò. Cavillationes & Explicationes Propoſitionum Janſenij damnatarum ejuſmodi adhibent Janſeniſtæ, ut ſi ſimiles cavillationes & explicationes toleráſſet ab initio ſui Eccleſia Chriſti, nulla Dogmata erronea in ſcriptis hæreſiarcharum, Arij, Neſtorij, &c. Lutheri, Calvini contenta, debuiſſet damnari. Si dicat quiſpiam. Utiq; Janſenius alijs in locis librorum ſuorum contrarium docuit illis Propoſitionibus quinque? Reſpondetur. Falſum eſt, quòd Janſenius docuerit quoad rem alibi oppoſitum. Accidit, quòd, ut bene advertit Timotheus à S. Fide, errare non deſinit, qui pugnantia docet, ſed errorem cum vero jungit, qui geminus jam error eſt, & graviſſimus.

CAPUT IV.

Aſſero 4tò. Admirandæ ſunt Janſeniſtarum falſitates contra Patrum Theologorum Societatis JESU Sententiam de Scientia Media & efficacia Gratiæ.

ANno 1699. prodiit liber, cui Titulus: *Hiſtoria Congregationum de Auxilijs, Auctore* (ut præfertur) *Auguſtino le Blanc*, ſed magna ſal- *Recenſentur aliquæ*

V tem

Janseni-starum falsitates.

tem ex parte, consarcinatus est à Jansenistis, præsertim à Paschasio Quesnello, prout evidenter ex literis ipsorummet Jansenistarum deducit sapientissimus Eleutherius Theologus in Præfatione sui doctissimi voluminis, cui Titulus: *Historia Controversiarum de Divinæ Gratiæ Auxilijs, sub Summis Pontificibus Sixto V. Clemente VIII, & Paulo V.*

Unde quæ in hoc Capite 4to, item 5to & 6to dicta vel scripta refero, si non appono Auctorem, unde relatio illa desumpta sit, noveris Benevole Lector, desumpta esse ex citata Augustini le Blanc historia. Argumenta verò, quibus refellam Jansenistarum ibidem dicta vel scripta, candidè fateor, magna ex parte desumpta esse ordinariè tum ex eruditissimo Eleutherio, tum ex Paulo Leonardo, Francisco Annato de Champs, Henao, Possino, Ripalda & alijs magni nominis Theologis Societatis JESU. Antequam autem ad recensendas in particulari falsitates Jansenistarum & convellendas, descendam.

Præmitto Imo. Quòd Petrus de Rivo seu Rivius Sacræ Theologiæ Lovaniensis Licentiatus varias Propositiones docuerit erroneas, à Sixto IV, circa Annum Domini 1473 damnatas, inter quas, pleno ore jactitant Jansenistæ, nec posse in dubium vocari, damnatum & proscriptum esse ab eodem Pontifice, Principium, in quo se fundat etiam Schola Societatis, negans dari Gratiam ex se efficacem salvâ libertate, Principium inquam hoc: *Quod ex inimpedibili sequitur per necessariam consequentiam, inimpedibile est.*

Præmitto 2dò. Quesnellus cum alijs quibusdam Jansenistis typo impressit, quòd Clemens VIII. statim initio 1mæ Congregationis Patrum Dominicanorum, & Societatis coram se in materia de Auxilijs habitæ Anno 1602, quòd inquam Patres Societatis ob desertam Sanctorum Patrum Doctrinam, & invectum in Ecclesiam DEI Pelagianismum, acerbè objurgaverit, alloquendo eos sic: *Novis istis vestris opinationibus, vel veteribus quidem, sed sepultis jam post mille ducentos annos & ab Ecclesia profligatis ita Catholicorum animos rursus imbuere studuistis, ut procul dubio videamini pacem scindere, inconsutilem Domini tunicam dividere, & in Ecclesiam DEI, Pelagij hæresim invehere. Quid enim aliud est, vel prorsus repudiatis, vel saltem posthabitis vetustissimis illis & Sanctissimis Viris, Hieronymo, Augustino, Prospero, & alijs Patribus doctissimis, recentioribus quibusdam, vel nullius, vel certè exigui nominis Do-*

Autoribus, ad istas Vestras opinationes defendendas uti, quàm Ecclesiam DEI, Pelagianorum erroribus denuo inficere & contaminare? Quid est hoc, quod molimini? An non dubitatis pro defensione unius Molinæ, invehere in Ecclesiam DEI Pelagij Dogma?

Præmitto 3tiò. Non verentur jactare Jansenistæ, quòd Paulus V. finitis Disputationibus de Auxilijs, tam Thomistis, quàm Jesuitis indixerit silentium propterea, quòd id temporis deessent Theologi, qui de vera ac genuina Christi Gratia, Apostolicam Sedem instruerent. His positis, jam

Probatur, quòd omnia, quæ in Præmissis superioribus tribus certò à Jansenistis prolata sunt contra Sententiam Societatis de efficacia Gratiæ, sint gravissimæ falsitates. Nunquam enim illud Principium damnatum est à Sixto IV. quod ipsum constat ex eo: Tum quia, ut refert Cardinalis de Lugo disp: 26. de Incarnatione, sectione 6ta num: 72. sæpiùs illa Bulla, Principii illius, ut fertur condemnativa, sollicitè à Jansenistis & alijs pluribus quæsita tam Romæ (ut fatetur ipse Thomas de Lemos Theologus Ordinis Prædicatorum in Congregatione 26. coram Clemente VIII) quàm alibi, & in ipsis archivis Lovaniensis Theologicæ & Philosophicæ Facultatis, nusquam tamen inveniri potuit; ut in literis datis ad Didacum Alvarez Archi-Episcopum Tranensem Anno 1631, die 6ta Junij, testatur Decanus & Facultas Theologica Lovaniensis. Tum, quia Sixti IV. Bulla, quæ in illis fastis Academicis exhibetur, nihil continet, unde illius Principii damnatio, vel per speciem colligatur: nec reperitur inter Propositiones revocatas Romæ à Petro de Rivo, nec inter viginti quinque articulos ejus, accusatos ab Henrico de Zomeren: nec inter Propositiones, quas Lovanium redux professus est, esse offensivas & malè sonantes: imò Impugnatores Rivii, illud ipsum Principium ultrô admittebant: ut videre est apud Lugonem locô citato. Tum, quia subversô illo Principiô, non posset ratione naturali solidè probari, per qualitatem necessitantem vel coäctivam, tenentem se ex parte actus imi, tolli libertatem. Illudq; Principium admittunt etiam S. Anselmus, & Divus Thomas, ut veritati consonum. Proinde in Congregatione 26ta, coram

Sixtus IV. non damnavit Propositionē hanc: *Quod ex inimpedibili sequitur per necessariam consequentiam, inimpedibile est.*

tam Clemente VIII, dixit P. Bastida: *Si quid contra Petrum de Rivo definitum est, definitum est, quòd de futuris contingentibus malè sentiret: non autem damnatum est istud Principium, quatenus præcisè asserit, libertatem suppositione antecedenti violari: hæc est enim Sententia B. Anselmi & Sancti Thomæ.* Cœterùm propositio Petri de Rivo teste Cardinale de Lugo fuit hæc: *Quòd ex præcedenti ordine successivæ durationis sequitur per necessariam consequentiam, necessarium & inimpedibile est:* quæ meritò damnata est, cùm sit erronea, imo hæretica. Nam revelatio divina de peccato Antichristi præcedit ordine successivæ durationis ipsum peccatum Antichristi, quòd ex revelatione per necessariam consequentiam infertur, & tamen peccatum Antichristi, non est simpliciter necessarium, vel inimpedibile. Revelatio enim non daretur, nisi DEUS prævidisset, quòd Antichristus pro libitu suo peccaturus esset.

Oratio invectiva in Patres Societatis, quæ à Jansenistis tribuitur Clementi 8vo, quòd sit commentitia, demonstratur.

Oratio illa invectiva Clementis VIII. in Patres Societatis, est merè commentitia: ut demonstratur imo. Quæro. Undenam Narratio desumpta? Respondetur. Ex Actis Francisci Pennæ. Sed quis prudenter credat Actis illis, quibus *Nullam omnino esse Fidem adhibendam?* Proinde nec probabilem humanam atq; Historicam, decrevit Innocentius X. in Constitutione sua edita 23. Aprilis, feriâ sextâ, in Congregatione Sanctæ Inquisitionis Anno 1654: Quis hoc in passu credat soli Pennæ? undè id asserenti, qui Societatis Instituti, morum, & doctrinæ, Capitalis semper & implacabilis fuit hostis? quod luculenter constat vel ex his: Tum quia, dum adhuc in Hispania esset, Partes eorum secutus est, qui Societatem ipsumq; ejus Sanctum Fundatorem, dum adhuc in vivis esset, gravissimè insectabantur, omniq; studio nisus est impedire postea, dum esset Rotæ Romanæ Decanus, Canonisationem ejusdem S. Fundatoris. Tum, quia contra Sacrum Inquisitionis Supremum Hispaniæ Tribunal, multa graviter contumeliosa scripsit, eò, quòd partes Societatis tueretur: Tum, quia cùm numerosam peccuniam Scholasticis pauperibus alendis, testamentô legaret, disertè cavit, ne quisquam eorum, qui Magistris fortè Societatis operam alicubi dedissent, eô beneficiô frueretur. Cujus tamen conditionis, ut parum piæ, in qua-

dam

dam occasione post ejus mortem in disceptationem vocatæ, Judices non esse habendam rationem, decreverunt. Demonstratur 2dò. Quia, quomodo sic de nobis persvasus poterat fuisse Pontifex ante cognitionem causæ? & quidem ille Pontifex, qui Cardinali Ossato (ut ipsemet libro 1mo Epistolarum Epistola 8va ad Villeregium refert) palàm dixit: *Patres Societatis multum contulerunt ad conservationem Religionis Catholicæ, & ubicunq; fuerant, ibi cultus Divinus integer permansit.* Qui item alloquens Patres, qui ex Universa Societate Romæ Congregati fuerant Societatem, *Brachium dexterum Sedis Apostolicæ* esse pronuntiavit. Qui post concertationem quandam, coram se peractam, legens nocte librum Patris Francisci Suarez de Auxilijs, cùm dormitaret, Cereusq; incenderet ipsos etiam margines illius libri, expergefactus, vocans Cubicularium Nobilem Hispanum, extinctoq; igne dixit: Non videri bonum omen pro Societatis doctrina. Ergo dubius fuit de Veritate Doctrinæ Societatis, & non jam determinatus, quòd Pelagianismum sapiat: respondit verò ex nunc, sat rectè Hispanus, nec sine prodigio. *Quin imò, veniâ Vestræ Sanctitatis, optimum est Omen: neq; enim una libri litera igne tacta, etsi margines conflagrârint.* Accedit 1mo. Quia quomodo in eadem Oratione prudenter dixisse poterat Clemens VIII, ad utriusque Ordinis Theologos, ut dixisse eum tamen iidem referunt Jansenistæ? *In hac* inquit *Disputatione, Mementote omnes vos Ecclesiæ unius Filios esse, per sponsum ejus Christum JESUM rogo vos, ut omni odiô depositô dissidijsq; proprijs semotis, inquirendæ & indagandæ Veritati operam navetis.* Ad quid enim opus erat, pro indaganda & inquirenda Veritate tot cætuum, Disputationumq; apparatu? Ad quid item idem Pontifex ante Disputationes decrevit Supplicationes tum privatim, tum publicè: invisit septem Ecclesias, genibus ascendit Scalam Sanctam: si jam Pontifici in ante certum fuit, Sententiam Molinæ & Societatis de efficacia Gratiæ ac Scientia Media esse Dogma Pelagii. Accedit 2do. Quia evidens erat, à Molina & alijs Doctoribus Societatis, declarari fusè, hanc Suam Sententiam fundari in testimonijs Scripturæ Sacræ sat claris, & Sanctorum Patrum: quâ ergo ratione Pontifex, fertur dixisse: repudiatos esse Sanctos Patres à Molina & Nostris Doctoribus? Quare evidens est, Orationem

illam absq; insigni temeritate, Pontifici prudentissimo tribui non posse.

Cardinalis Peronius quid dixerit Clementi VIII. in favorem Sententiæ Societatis?

De hoc Clemente VIII. Nota Imo. Cùm sub finem Decembris, Anni 1604, Jacobus Davi Cardinalis Peronius, Vir tum in omni Doctrinæ Theologicæ parte, tum præsertim Controversijs cum hæreticis hujus temporis, versatissimus (qua de causa eodem Anno, Clemens Pontifex, ipsum Sacro Collegio Cardinalium adlegerat, & scriptis ad eum honorificentissimis literis, Romam advocaverat) in Urbem ex Gallia appulisset, arcano ei colloquio communicavit, quæcunq; hactenus de Auxilio Gratiæ gesta essent, in varijs retroactis Disputationibus. Cardinalis auditâ illâ relatione, dixit: Si Sanctitas Sua Sententiam, quæ agitata est Patrum Jesuitarum de concursu Gratiæ cum libero Arbitrio, damnaret, sibi certum esse, omnes per Galliam, Germaniamq; Calvinismi & Lutheranismi Professores, ejus definitioni applausuros, velut certissimæ confirmationi Suorum Dogmatum. Porrò hoc dixisse Peronium, præter communissimam & recentem tunc Romæ famam, confirmatur testimoniô Illustrissimi Domini Episcopi Carducensis, qui palàm affirmavit, se ex ipso Cardinali Peronio, cui familiaris fuerat, audivisse, cùm narraret, se id Clementi Pontifici, quod retulimus, dixisse.

Clemens 8. librum P. Molinæ legens, ejus Sententiā de Scientia Media, à Pelagianismo, & Semipelanismo, vindicat.

Nota 2dò. Clemens VIII. paulò ante obitum suum, qui contigit 3tia Martij 1605, Librum Molinæ de Concordia legere à capite aggressus est, in quo notis, propriâ manu sacra ad marginem adscriptis, Molinæ Sententiam de Scientia Media, à Pelagianismo & Semipelagianismo, vindicat. Ex quo affirmare licet, Pontificem sub extremum vitæ tempus propendisse in Molinam, & si vita superstes aliquantùm fuisset, totumq; illum librum Pontifex legisset (nam tantùm ad 1078 paginam has notas perduxit suas) agnitâ doctrinæ Molinæ integritate & Veritate, pro sua recti & æqui tenace voluntate, efficaci eam Patrociniô complexurum fuisse, plerią; non dubitant. Servatur in hodiernum diem in Romano Tabulario Societatis, codex ille ipse, donatus Nostris ab ipsius Nepote Cardinale Aldobrandino.

Nota 3tiò, Quòd in Vita Religiosissimæ Virginis Marinæ de Escobar (quam conscripsit Director conscientiæ ejus per annos triginta, Vir integerrimus R. P. Ludovicus de Ponte) refertur, S. Ignatium

tium apparuisse prædictæ Virgini, dixisseque: Societatem non confusum iri in Controversia tunc agitata coram Clemente VIII. In Vita etiam Cardinalis Bellarmini lib. 6. cap. 7mo habetur, quòd, cùm aliquando in æde S. Marcelli, Cardinalis Franciscus Maria à Monte, Decanus Purpuratorum, solemnibus Sacrorum interesset id temporis, quo Clemens VIII. Pontifex adhuc vivebat, dixerit Cardinali Bellarmino, qui item aderat: Deliberatum est Pontifici, tandem pronuntiare in Opiniones de Auxilijs Gratiæ DEI, natas inter Patres Dominicanos, & Patres Societatis JESU. Tum Bellarminus: Hoc verè, inquit, Clemens Pontifex nunquam definiet, futurusq; prius vitæ ejus, quàm quæstionis, finis.

S. Ignatius apparens V. Virgini Marinæ, quidnam ei dixerit?

Bellarminus prædicit, Clementem non definituru Controversiam de Auxilijs.

Nota 4tò. Clemens VIII. etsi fortissimis rationibus in partem Societatis traheretur, tamen potentissimis Patrum Prædicatorum Patronis, Cardinalibus nempe Alexandrino & Asculano, nec non Decano Sacræ Rotæ Francisco Pegna, ad se non reluctantem retrahentibus, incertus animi, favores alternabat, & parum in nos benignioris animi indicia quandoq; præbebat.

Tempore Pauli V. defuisse Theologos, qui de vera Christi Gratia, Pontificem informarent, quis Jansenistis credet? nec pueri credent, nec qui nondum ære lavantur. Itáne Theologi Jansenistæ, & quidem hi soli, expectandi erant, ut informarent Summos Pontifices de vera & genuina Christi Gratia? Informavit antea Bajus, ac postea Jansenius, & eorum Sequaces, Sedem Apostolicam de Gratia: ast quia clarè deprehensum est, eam Gratiam non esse genuinam Christi Gratiam, sed potiùs Viclefficam, Lutheranam, Calvinisticam, ideò rejecta est, & proscripta inter quinque Propositiones Jansenij damnatas ab Ecclesia.

Falsitas Jansenistarum de carentia Theologorum benè peritorũ.

Non constitit hìc Jansenistarum impudens falsitas contra Sententiam Theologorum Societatis de Scientia Media & efficacia Gratiæ, addidêre alias enormes falsitates. *Imo.* Libertus Fromondus, Jansenista, qui se Vincentium Lenem theriacopolam nominavit, in sua mortifera theriaca, quam ex multis venenatis Propositionibus compositam edidit Anno 1647, refert, Acta conscripta & Bullam Apostolicam esse Pauli V. in qua damnatur, ut hæretica, P. Molinæ Doctrina de Scientia Media & efficacia Gratiæ: imò testatur, se vidisse illam

Falsitates variæ à Jansenistis referuntur.

illam Bullam. *Promulgetur* inquit *illa*, *& debellatum est*: idem scripsêre alij quidam Jansenistæ: & quod magis dolendum, Catholici nonnulli Scriptores non multùm absimilia in suis libris antea editis promulgârunt. Parco nominibus illorum; quidam in suo cursu Theologico Collegij Salmanticensis in lucem edito, Anno 1636, non est veritus primus affirmare, Doctrinam de Scientia Media, Romæ in Disputationibus, de Concordi triginta Censorum Judicio, à Pontifice Maximo, à Theologia Scholastica exulare jussam. Vestigia istius Coriphæi pressit, idemq; affirmavit Anno 1644. in libro suo furtim Tolossæ edito, Auctor Quæstionis Theologicæ: idem Anno 1649 Quidam in suis Controversijs Metaphysicis asseruit. *2do.* Typis mandârunt Jansenistæ, Quòd Scientiam Mediam ante Molinam à nullo Theologorum usurpatam agnoscant & fateantur Doctores Jesuitæ, nempe Fonseca, Vasquez, Granado, Herice, ipseq; Molina. *3tio.* Jansenistæ approbant ut omnino certam, historiam illam, quam quidam Catholicus Scriptor (Nomini parco) in libro conscripto, cui Titulus: *MARIÆ DEIparæ viscera Materna &c.* edito, Anno 1634. pag. 326. refert, de emissione radiorum ex vultu Thomæ Lemos (qui coram Clemente VIII. & Paulo V. sæpiùs, & principaliores egit partes in concertationibus cum Nostris) in ijs Disputationibus, deq; longissimis periodis Augustini, aliorumq; Sanctorum Patrum Sententijs, memoriter, dextrè expeditè, acuratè, recitatis, quas tamen nunquam memoriæ ante commendaverat. *4to.* Jansenistæ referunt, quòd Ferdinandus de Bastida, post plurimas concertationes coram Clemente VIII. & Paulo V. habitas, in Hispaniam redux, è Societate dimissus ab Aquaviva Generali, ob impedimentum dirimens, quòd inquam, Scientiam Mediam & Gratiam non prædeterminantem ejuraverit. Verùm

Probatur evidenter, illa omnia quatuor puncta conscripta à Jansenistis contra Sententiam Theologorum Societatis de Scientia Media & efficacia Gratiæ, esse impudentissimas falsitates. Nunquam enim Paulus V. edidit Bullam condemnativam Sententiæ Nostræ. Quod ipsum patet, tum, quia Innocentius X. in solenni sua Constitutione, edita 23. Aprilis Anno 1654, inter alia habet

Falsum est, à Paulo V. Bullam e-

bet hæc: *Cùm circumferatur quoddam autographum, seu Exemplar assertæ Constitutionis Pauli V. super definitionem prædictæ quæstionis de Auxilijs, ac damnationis Sententiæ, seu Sententiarum Ludovici Molinæ Societatis JESU: Sanctitas Sua declarat ac decernit prædicto Exemplari nullam omnino esse Fidem adhibendam.* Tum, quia Anno 1612, hoc est quinq; ferè annis post solutas Congregationes de Auxilijs, supplicem libellum Paulo V. obtulerunt Patres Prædicatores; in quo petierunt, ut definiretur, in quonam Gratiæ efficacia consistat: nullam mentionem illius Bullæ faciendo: imò totis 40 annis & pluribus, post Concertationes illas coram Clemente VIII. & Paulo V. habitas, nullus Thomistarum, qui tunc temporis plurimi tamen scripserunt, nec quidquam prætermiserunt eorum, quæ ad Suæ Sententiæ commendationem quomodocunque pertinere credebant, nullus inquam, illius tam sibi favorabilis prætensæ Bullæ meminit. Ergo evidens est, illam non extitisse: vel si extitit aliqua composita ab aliquo ex hostibus Societis JESU, non fuisse illam à Paulo V. & Cardinalibus approbatam; quod ipsum, prudentiores quidam Jansenistæ non diffitentur. Et certè si declarata est, ùt hæretica, Molinæ doctrina, quomodo potuit prudenter Paulus V. permittere doceri eam publicè in Scholis & Universitatibus, uti defacto permisit? imò quod majus est, eam censurari vetuit, solenni suô Decretô, quod postea Urbanus VIII. confirmavit. Vide plura suprà in Tractatûs Imi parte 2da, cap: 1. 2. & 3.

ditam adversùs Sententiam Societatis.

Falsissimum item est, quòd Doctores Societatis fateantur, ante Molinam, à nullo Theologorum usurpatam Scientiam Mediam. Siquidem P. Petrus Fonseca (sub quo Molina Theologiam Conimbricæ audivit) in sua Metaphysica lib: 6. cap: 2. q: 4. sect: 9. Titulum illi Sectioni hunc apposuit: *DEUS certò cognoscit, non solùm verè futura in statu conditionato, sed etiam purè conditionata,* & postea dicit: *Sexto loco probari potest eadem Assertio ex communi Patrum Sententia & Sacrarum literarum testimonijs, ut ea illi interpretantur.* Et adductis testimonijs pluribus ex S. Augustino & Scriptura. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*: ex Tyriorum & Sydoniorum Conversione, Matthæi 11. & Lucæ 10. &c: dicit: *Infinita penè loca sunt, in quibus utramq; conditionatam præscientiam de liberis Actibus futuris, non solùm Augustinus, sed etiam alij Patres* (qui utiq;

Veritati graviter dissonum, Societatis Theologos fateri à nullo Theologo ante P. Molinã, agnitam fuisse Scientiam Mediam.

fuerunt primæ Magnitudinis Theologi) *asserunt: quæ non opus est hoc loco referre, usq; adeo perspicua res in tota antiquitate: nec solùm utraq; Scientia planè astruitur à Patribus, sed eam præcedere omne Divinæ voluntatis Decretum, perspicuè traditur.* Solùm autem sect: 4ta dixerat Fonseca, non fuisse quempiam, qui hoc pacto libertatem arbitrij nostri cum Divina Præscientia aut Providentia, *apertè & (ut dicitur) in terminis, conciliâsset:* additq; istam rationem Conciliandi libertatem, *solâ specie,* quibusdam novam videri, *rem* tamen *esse antiquam.* P. Gabriel Vasquez 1ma parte disp: 67. q. 14. art: 13. dicit: *Doctrina hæc de Scientia Media, adeo familiaris est Augustino, ut superfluum sit plura alia ipsius loca, præter jam adducta, in medium afferre.* P. Jacobus Granadus Tractatu 5. disp: 3 sectionis 2dæ Titulum talem indidit: *In DEO esse Scientiam Conditionatam prædictarum Propositionum, probatur testimonijs Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum:* citatq; in primis S. Augustinum. Et sect: 4ta dicit: *Non rectè dicitur, non carere præsumptionis notâ, constituere novum modum conciliandæ libertatis, qui in Scientia ista conditionata fundamentum firmissimum habet, quia, ut vidimus, hæc Sententia à Sanctis Patribus cognita est, ex Scriptura colligitur: nec ullo modo rejicitur à S. Prospero & Hilario, ut manifestè probavimus Disputatione præcedente.* P. Valentinus de Herice 1ma parte, disp: 7ma cap: 10 solùm agnoscit Scientiam Mediam latuisse Scholasticos antiquos, utpote, qui ex professo non tractârunt de Scientia futurorum contingentium conditionatorum; sed non dicit, latuisse Sanctos Patres: imò asserit, Scientiam illam à Theologis Societatis erutam diligenti Sanctorum Patrum, assiduâq; lectione. P. Molina in sua Concordia, q. 14. art: 13. disp: 52. editionis Vlysiponensis pag: 330. Antverpiensis verò editionis pag: 228. explicans Scientiam Mediam ait: *DEO, ab Hieronymo, Augustino & alijs Patribus tribuitur Scientia Media.* Item q. 14. art: 18. disp: 53. pag: 252. dicit: *Si tam, quæ Disputatione præcedente, tamq; disp: 23. & alibi, ex ipsismet Patribus relata sunt, consulas, quæ planè non aliud sunt, quàm, Scientiam Mediam, si non nostris verbis, re tamen ipsa affirmare.* En clarè profitetur se Scientiam Mediam ex Sanctis Patribus hausisse: solùm ergo in Patris Molinæ Textibus, qui adduci solent in contra, asseruit Molina, à se aliquid circa Concordiam Gra-

Gratiæ efficacis cum libero arbitrio, in terminis & explicitè positum, quod S. Augustinus supposuit ut verum, nempe non dari Decretum absolutum antecedens inevitabile. Molina proinde nihil novæ substantiæ, quàm, quæ antea à Patribus docebatur, attulit; explicandæ tamen Gratiæ Divinæ modus, & nomen ipsum Scientiæ Mediæ, quod Scientiæ conditionalium ipse indidit, eximiam ei Auctoritatem & laudem apud plurimos conciliavit, ut ait Possonius.

Radiorum emissio ex vultu Fratris Lemos commentitia est.

Historia illa de emissione radiorum ex vultu Thomæ Lemos &c: falsa est. Unde liber ille, ob ejusmodi figmenta suspensus est à Cardinalibus Anno 1642, donec expurgaretur, jubente sic Urbano VIII, quem testem ocularem illius luminis, auctor historiæ istius appellârat, cùm tamen Urbanus nihil tale vidisset. Innocentius verò X, nullam omnino Fidem adhibendam esse decrevit Actis prædicti Thomæ Lemos.

Bastida, nunquam ejuravit Scientiam Mediam.

Ferdinandus de Bastida, quòd ejuraverit Scientiam Mediam & Gratiam non prædeterminantem, dissonat veritati. Nam P. Gabriel Henao, insignis Theologus in libro suo de Scient. Med. hist. propug. Event. 5. scribit: *Novi Bastidam Vallisoleti, & multoties allocutus sum: de Opinionis autem inconstantia, nec verbum unum audivi sive ab ipso, sive ab alijs, quæsitiq; modò per literas Viri contemporanei, responderunt, prælegisse sæpè publicè ac defensâsse Sententiam, quam in Societate didicerat: tamq; crebro de ea clam & palam actitâsse, ut in proverbium abierit: videtur Bastida, nihil nisi Scientiam Mediam & Auxilia scire: quod ortum duxit ex constanti perpetuaq; Scientiæ Mediæ & Auxiliorum defensione.* P. item Lucas Vadingus, Primarius olim Professor Theologiæ Vallisoleti, & in Universitate Salmanticensi, qui cum Bastida, post ejus discessum è Societate, egit per quindecim annos Vallisoleti; ac Didacus de Prado, Archi-Episcopus Brundusii, alijque Viri testantur gravissimi, Bastidam perseverâsse stabilem in hac Sententia: fuit ille post discessum è Societate, Academiæ Vallisoletanæ Cancellarius, habuit etiam Canonicatum Magisterialem, diciturq; Exercitii causâ disputâsse semel contra Scientiam Mediam, fortè in petitione Canonicatûs vel Gradus literarij suscipiendi in Dominicano S. Thomæ Collegio. Testamento legavit Collegio nostro

Vallisoletano ingentia quatuor volumina, continentia Controversias & Acta Romæ habita de Scientia Media & Auxilijs, ut quando per Sedem Apostolicam liceret, imprimerentur.

CAPUT V.

Assero 5tò. Admirandæ sunt Jansenistarum falsitates, contra Eminentissimum Bellarminum, P. Gregorium de Valentia, P. Leonardum Lessium, & alios.

Falsitates aliæ Jansenistarũ enumerantur.

PRæmitto Imo. Jansenistæ scriptis mandârunt, Bellarminum in omni virtute & scientia Eminentissimum, Sententiam Molinæ de Scientia Media & efficacia Gratiæ, uti difformem Scripturæ Sacræ & Divo Augustino, improbâsse, damnâsse.

Præmitto 2dò. Reginaldus Ravallius Auctor Quæstionis Theologicæ, editæ Tolossæ, & ob id vocatus Quæstionarius Tolosanus, item Alexander Liliolus, ut solent, fabulantur, ajuntq; P. Valentiam à Clemente VIII. convictum falsò allegati Augustini in Congregatione X, dolore infamiæ in apoplexiam lapsum, & velut fulmine ictum, ad ejus pedes corruisse, indeque esse sublatum. Hanc narrationem plurimùm approbant Jansenistæ.

Præmitto 3tiò. Postquam Propositiones plurimas Michaëlis Baji, non sine ejus ignominiá, damnatæ fuerant à S. Pio V. Anno 1567 & à Gregorio XIII. Anno 1579. ægerrimè id ferens cùm suis discipulis, Jacobo Bajo Nepote suo, Jacobo Jansenio & alijs, credensq; hanc Sententiarum suarum proscriptionem instinctu Theologorum Societatis factam: cernens item, tam à Bellarmino tunc Lovanii Theologiæ Professore, quàm à P. Lessio ejus Successore celeberrimo, suas refutari Propositiones, concitavit Universitatem Lovaniensem contra Lessium, effecitque Anno 1587. apud Doctores Lovanienses & Duacenses (nec mirum, quod effecerit: siquidem teste Middelburgensi Episcopo, Joanne Strieno, Præside Collegij Regii Lovanij, ipsius Discipuli fuerunt, quicunq; tunc temporis Lovanij & in recentiore Universitate Duacensi, Theologi nominabantur) effecit, inquam, ut Lessii Propositiones 30, præsertim de Gratia sufficienti & efficaci, ac Prædesti-

deſtinatione, cenſurarent tanquam *Peregrinas, offenſivas, & periculoſas.* Cenſuram hanc ſtatim in ipſo Belgio improbârunt Epiſcopi ſex, Mechlinenſis, Ruremundenſis, Iprenſis, Middelburgenſis, Antverpienſis, Tornacenſis Electus, & Suffraganeus Cameracenſis minorita: improbârunt præter Viros plurimos doctiſſimos, Academiæ, Pariſienſis, Moguntina, Trevirenſis, Ingolſtadienſis, & pleræque aliæ. Imò & ipſamet Academia Duacenſis, ad Facultatis ſuæ Decretum, quô Cenſura Anni 1588vi, contra Leſſium probabatur, reſpondit: Eſſè *doloſè obtentum, & importunè extortum.* Demum, tota ſtrictior Facultas Lovanienſis Theologica, improbat illam Cenſuram: Janſeniſtæ tamen, Cenſuram illam, ejusdemq; Cenſuræ Juſtificationem ajunt fuiſſe approbatam à Sede Apoſtolica.

Præmitto 4tò. Quòd Urbanus VIII. Anno 1641. Bullam edidit, quâ confirmavit Conſtitutionem, tam S. Pii V. quàm Gregorij XIII, quarum utrâq; damnantur Propoſitiones Bajanæ, & inſuper per illam Bullam prohibetur Liber Cornelij Janſenij, cui Titulus: *Auguſtinus:* incipit illa Bulla *In eminenti:* hanc ergo Bullam eſſè ſubreptitiam, hoc eſt dolô extortam à Jeſuitis per expoſitionem falſi, acerrimè contendunt Bajani & Janſeniſtæ, dicendo: falſum omnino eſſè, quòd in prædicto libro Janſenij, multæ ex damnatis Propoſitionibus contineantur, & quòd malè informatus ſit à Jeſuitis Pontifex.

Præmitto 5tò. Referunt Janſeniſtæ in ſua Hiſtoria Generali de Janſeniſmo, non ita pridem typo edita Tomo 1mo, pag. 279, quòd P. Cools dixerit: Certum eſſè, quòd doctrina Jeſuitica, ſit Eccleſiæ pernicioſiſſima, & quòd Jeſuitæ, ſint Præcurſores Antichriſti. His præmiſſis, jam

Probatur, quòd omnia, quæ in Præmiſſis ſuperioribus quinque, à Janſeniſtis prolata ſunt, graviſſimæ ſint falſitates. Nam Bellarminus lib. 2do de Amiſſione Gratiæ, & ſtatu peccati cap. 17mo, fusè tradit & probat, tum ex Scriptura Sacra 1. Regum 13. & Matth: 17. tum ex libris Divi Auguſtini, dari in DEO Scientiam Mediam, ſeu quod idem, dari Scientiam conditionalium ante Decretum abſolutum ſuæ voluntatis. Et lib. 2do de Gratia & libero arbitrio cap. 15, expreſsè dicit: *DEUS, antequam aliquid abſolutâ volun-*

Bellarminus nunquam improbavit Scientiam Mediam.

voluntate decrevit, præscit, quid unquam accidere posset, si hæc aut illa ponerentur. Item lib. 1. de Gratiâ & libero arbitrio cap 12. & 13. ac lib 4. cap: 11. & lib. 6. cap: 14. & 15. docet, & probat, non consistere Gratiam efficacem in Prædeterminatione physica, sed in Vocatione congrua, seu Auxilijs eo tempore datis, quô prævidentur, habitura consensum: proximeq; moriturus, nempe Anno 1621. quarto idus Septembris, coram Notario Publico, & pluribus testibus, omnia illa rata habuit, nec Sententiam suam mutare se protestatus est in ijs, quæcunq; scripsit de Auxilijs Gratiæ, & Scientia Media; *ut videre est in ejus vita lib. 2do cap. 5to & lib. 7. cap. 3tio.* Accedit, quòd P. Lessius in Responsione ad Præfationem Censuræ Lovaniensis ait: *Legantur Bellarmini Lectiones Lovanij factæ Anno 1573. circa Quæstionem 109. art: 8vo. 12. & alibi ubi de Auxilio sufficienti & Gratia efficaci, idem docet quod nos: idem etiam pòst multò fusiùs fecit Romæ.* Extat in Archivo Collegij Lovaniensis Soc: JESU Autographum, manu Bellarmini exaratum, quô Lessii Doctrina defenditur. Item ipse Frater Thomas de Lemos Tomo 4. lib. 4. pag. 2. cap. 35. & pag. 28va. num. 612. Bellarminum recenset inter suos Adversarios: ut ipsemet D. Hennebellus Jansenista in Sua Epistola ad Quesnellum testatur.

Ratione Beatificationis Bellarmini, falsa Jansenistarũ narratio.

Insuper Jansenistæ falsitati priori de Bellarmino, addiderunt in suis scriptis aliam, nempe hanc. Dum, inquiunt, de Bellarmini Virtutibus (in Ordine ad ejus Beatificationem & Canonizationem) quæstio ex forma Juris instructa est Ponente ut ajunt, Eminentissimo Cardinali Flavio Chigio: una Consultorum omnium Sententia fuit, unô duntaxat acceptô Prædicatorum Ordinis Professore, ne fortè illorum invidiâ causam elisam dicat aliquis, de heroicis Bellarmini Virtutibus minimè constare. Cùm tamen in Autographis Regestris Congregationis Rituum, planè diversum annotatum sit, verbis his: In Congregatione habita die 27. Julij 1677. in causa Beatificationis & Canonizationis Venerabilis Servi DEI Cardinalis Roberti Bellarmini super dubio, an constet de Virtutibus, ubi interfuerunt Consultores novemdecim, & Cardinales septemdecim: ex iisdem Consultoribus, sexdecim censuerunt, constare de Virtutibus, & tres duntaxat, non constare: ex Cardinalibus autem decem dixerunt, con-

conſtare: ſex dixerunt, non conſtare: & unus cenſuit expectandum. Quàm diſformis hæc narratio priori! Narratio illa de ſubito Patris Valentiæ obitu, ejuſq; occaſione, nimiùm audax fabula eſt. Scriptores enim illuſtres, Vincentius Gviniſius in Hiſtoria harum Diſputationum, & Joannes Victor Roſcius in ſua Hiſtoria Virorum Illuſtrium, teſtantur, Valentiam, non ſolùm Clementi VIII in illa ſua Diſputatione ultima, quæ erat X, plurimùm placuiſſe, verùm etiam exhibitum illum honorem, ut non ſtans, ſed ſedens peroraret, magniq; ſemper apud eundem Pontificem nominis fuit, ita, ut eum ſolum Doctorem vocitaret, & libens eundem, ob ejus eximiam Doctrinam & libertatem grati ſermonis, audiebat. Accedunt ad hæc, tum Domeſticorum teſtimonia, quòd ſuis viribus ad Collegium Romanum, ubi ſuperiorum Studiorum gerebat Præfecturam, ſine ullo ſigno apoplexiæ, redierit; Tum Clementis ipſius, de illo ſolicitudo, ſæpiùs percontantis, quì valeret: & ob ejus deſiderium audiendi, ſesqui menſem, Congregationem decimam differentis. Vir tot hæreticorum in Germania Victor, tot librorum Eccleſiæ utilium Auctor, Neapoli in Villa Tyberij Carafæ Principis Biſſiani, quam illi ultrò obtulerat, vivere deſijt, Anno Domini 1603.

P. Valentia elogiũ & obitus.

Contra Patrem Leſſium Cenſura lata, quòd fuerit approbata à Sede Apoſtolica, ab omni veri ſpecie alieniſſimum eſt. Quæro enim: Quandonam & à quo Pontifice Romano illa Cenſura approbata? Non à Sixto V, quo Regente Eccleſiam, illa Cenſura lata eſt: nam extat Decretum Nuntij per Belgium Apoſtolici, Octavij Frangipanij, Calatini Epiſcopi, Auctoritate Sixti V. conceptum & promulgatum: extat & ipſum Breve Sixti V. ad eundem Calatinum: quibus Leſsij Propoſitiones illæ cenſuratæ vocantur. *Sanæ Doctrinæ* (non *Sacræ*, ut quidam contra Autographi Fidem ſcripſerunt) id eſt, *Articuli* declarantur doceri à Catholicis tutò poſſe, quosq; privatorum Theologorum Cenſuris perſtringi, ſit nefas, inſuper & ſub pœna latæ Sententiæ prohibentur cenſurari, & pronuntiari hæreticæ, ſuſpectæ, offenſivæ, & periculoſæ. Poſt quod edictum, Doctores plurimi ipſimet Lovanienſes, oppoſitas Cenſuræ Sententias propugnârunt. Quin & Sixtus V. inſpectâ Leſſii doctrinâ

P. Leſſij Doctrina nunquam à Sede Apoſtolica improbata.

nâ ad se delatâ, dixisse in Cardinalium Cœtu fertur: **Doctrinam,** quæ in Jesuitis nunc reprehenderetur, à se olim, cum Theologiam in Scholis profiteretur, traditam, & nunc maximè Catholicam videri.

Si dicatur (ùt dici à quibusdam Jansenistis solet) illam Censuram esse approbatam ab Innocentio XI, præterquam, quòd hoc, arbitrariè & temerariè dicatur, Contra est. Tum, quia sub Innocentio XI. in Sacra Congregatione Anno 1679. 10 Decembris declaratum est, quòd nec Sanctitas Sua, nec Sacra Congregatio approbaverit unquam dictam Censuram. Tum, quia Eminentissimus Tanarius, tunc Innocentij XI. Bruxellis Internuntius scripsit ad Amplissimum Dominum Nicolaum de Bois, Sacræ Scripturæ in Academia Lovaniensi Professorem, appromittens, se impediturum illius Censuræ reimpressionem, si tentaretur: *Ne,* inquit, *contraveniretur Menti Suæ Sanctitatis, quandoquidem nunquam, quod sciam, fuerit approbata à S. Sede.*

In Censura, lata olim à Baji fautoribꝰ contra P. Lessium, continentur graves errores.

Veritas eadem Nostra probatur. Quis enim, maximè nunc post Urbani VIII, Innocentij X, Alexandri VII, Constitutiones, asserat, mereri approbationem Sedis Apostolicæ Censuram illam ejusq; Justificationem, in qua continentur Propositiones hæ:

Prima. *Converti quibusdam & corrigi est propriè impossibile.* Proinde consequens est, DEUM quibusdam propriè impossibilia præcipere. Quod repugnat Tridentino sess. 6. cap. 11. & Sanctis Patribus, Bonitatiq; Divinæ.

2da. *Nullus peccator converti potest, nisi cùm Actu convertitur.* Ex quo sequitur, nullam dari Gratiam sufficientem quin efficax sit. Quod repugnat Constitutionibus prædictorum Summorum Pontificum.

3tia. *Non omnes habent sufficiens Auxilium ex parte DEI, ad salutem consequendam.* Cùm tamen Alexander VIII. inter 31. damnaverit hanc numero 5. Propositionem: *Pagani, Judæi, Hæretici, alijq; hujus generis, sunt sine Gratia omni sufficienti.*

4ta. *Non negârunt Semipelagiani, prævias ad Fidem interioris etiam illuminationis, excitationis, motionum ac pulsuum Disputationes.* Hæc Propositio coincidere videtur cum quarta damnata Jansenij Propositione illa: *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad Initium Fidei.*

Accedit 1mo. Quòd ipsemet Jansenius lib. 3. de Gratia Christi cap.

cap. 1. Auctoritate Censuræ Lovaniensis & Duacensis latæ contra Propositiones Lessii, probat, interiori Gratiæ in statu Naturæ lapsæ nunquam resisti. Idipsum fecit Melchior Leydeckerus, inter Calvinistas, Theologiæ Professor Ultrajecti, in Thesibus suis propugnatis Anno 1680. Quâ ergo ratione, Censura ejusmodi Jansenismi approbationem continens, potuit approbari à Sede Apostolica?

Accedit 2dò. Quòd Doctrinam Lessii de Gratia confirment ea omnia, quæ superiori Tractatu pro Scientia Media, quin & dicta suprà in hoc Tractatu. Doctrinam verò Lessii de Prædestinatione, præter plurimos primæ Magnitudinis Theologus, approbavit S. Franciscus Salesius Episcopus Gebennensis: is enim in literis suis ad Patrem Lessium datis 1618. 26. Augusti, inter alia scribit hæc: *Amabam te jam pridem, imò etiam venerabar te, nomenq; Tuum, Mi Pater, non solùm, quia soleo, quidquid ex Vestra illa Societate procedit, magni facere, sed etiam quia sigillatim de Vestra Reverentia, multa audivi præclara imùm, deinde vidi, inspexi, & suspexi. Vidi in Bibliotheca Collegij Lugdunensis Tractatum de Prædestinatione, & cognovi, Paternitatem Vestram, Sententiam illam, antiquitate, suavitate, ac Scripturarum nativâ Authoritate nobilissimam de Prædestinatione ad Gloriam post prævisa Opera, amplecti, ac tueri. Quod sanè mihi gratissimum fuit, qui nimirum eam semper, ut DEI Misericordiæ ac Gratiæ magis consentaneam, veriorem, ac amabiliorem, existimavi: quod etiam tantisper in libello de Amore DEI indicavi. Admodum Reverendæ Paternitatis Vestræ, humilis & addictissimus Frater ac Servus in Christo. Franciscus Episcopus Gebennensis.* Inscriptio verò Epistolæ hujus, erat ista: *Admodum Reverendo Patri in Christo Patri Leonardo Lessio Societatis JESU Theologo Clarissimo.* Asservatur autographum hujus Epistolæ in Domo Nostra Professâ Antverpiæ, inclusum thecæ argenteæ. Respondebunt fortè Jansenistæ, testimonium S. Salesii nihil conducere ad defendendam P. Lessii doctrinam: nam Libertus Hennebel in Thesibus suis 1684. impressis, ait: *Franciscus Salesius, errore Semipelagianorum infectus fuit.* Ast Responsionem hanc ex Liberti Jansenistæ penu desumptam, quis Orthodoxorum impiam esse non censeat?

Doctrinã P. Lessij, inter alios, approbat S. Franciscus Salesius.

Libertus Jansenistæ calumniatur S. Salesium.

Falsitatem illam Jansenistarum ratione Bullæ Urbani VIII. ipsemet idem Pontifex sat clarè manifestat. Tum, quia in illa

Urbani 8vi Bulla, quæ incipit: In eminenti: *non est subreptitia.*

eadem Bulla habet hæc: *Ex diligenti & matura ejusdem libri, cui titulus: Augustinus, lectione, compertum fuit, in eodem libro multas ex Propositionibus à Prædecessoribus Nostris damnatas contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & Auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi.* Tum, quia idem Pontifex ad Archi-Episcopum Cameracensem scripsit: *Est verissimum Diploma, & Sanctæ Sedis Oraculum, quod aliquorum audacia levißimis prætextibus, falsitatis insimulare præsumit.* Item ad Academiam Duacensem: *Impudens aliquorum temeritas satis improbari non potest, qui Constitutionem illam (* In eminenti &c: *) falsitatis insimulare, vanißimis rationibus non sunt veriti: est hæc aperta contumacia, perniciosumq; exemplum, & salutis discrimen aditur eâ Præsumptione atq; inconsultis Opinionibus.* Accedit. Quia inter Propositiones 31. ab Alexandro VIII. damnatas 7. Decemb: 1690. ultima seu 31. est hæc: *Bulla Urbani VIII. In eminenti: est subreptitia.*

Calumniosa Jansenistarum relatio contra Cools refellitur.

Demum quantùm à Veritate deflectat illud, quod de P. Cools refertur à Jansenistis in illa Historia de Jansenismo tomo 1. pag: 279. hinc prudens Lector collige. Doctissimus Præsul Antverpiensis, ex Ordine Prædicatorum assumptus, Reginaldus Cools, legens illam paginam, obstupuit, execratus tam enormem falsitatem, & Anno 1701. 19. Octobris publicum suum Authenticum instrumentum edidit, in quo hæc leguntur: *Attento, quòd alius P. Cools illic intelligi non possit, quàm Nostra Persona: Episcopali Nostro Officio prorsus congruum est, ut in Veritate & Charitate ambulantes, manifestemus, quid hac de re sentiendum sit.- Nos Divino Nomine invocato, attestamur, illud relatum esse falsum, fictum, ac merè calumniosum.* Moxq; subjicit: *Sed non est mirum, quòd de Episcopo ex Ordine Prædicatorum assumpto, & quidem in Hispania indq; calumniam Patrum Societatis, talia comminiscantur, qui occasione Jansenij exorbitant: siquidem simillimi figmenti exemplum habemus in Illustrißimo ac Reverendissimo D. Ildefonso à S. Thoma, ex Nostro etiam Prædicatorum Ordine assumpto Episcopo Malacensi, cujus Auctoritate, cùm esset Nobilissimi Sangvinis, doctissimus ad hæc & Religiosißimus, abutentes, eum fecerunt Auctorem nefandißimi Operis, cui Titulus: Theatrum Jesuiticum. Sed opportunè accidit, ut Vir Illustris-*

simus

simus datâ Operâ editoq; Typis Opusculô infamem imposturam invictis confutaverit argumentis.

CAPUT VI.

ASsero 6tò. Admirandæ sunt Jansenistarum falsitates contra Patrem Ludovicum Molinam.

PRæmitto Imò. Quesnellus in Historia sua Congregationum de Auxilijs, refert, quòd Molina in sua Concordia, Augustinum, bis tantùm, aut ter præter morem, & fortè præter mentem, Sancti, seu Divi titulô, cohonestaverit: feceritq; id eo fine, ut eum oblique deprimeret.

Falsitates Jansenistarū contra P. Molinam referuntur.

Præmitto 2dò. Reginaldus Ravallius, Auctor Quæstionis Theologicæ, Historicæ &c. in sua Thesi 30. & postrema ait: *Fatetur passim Molina in sua Concordia, quòd Doctrina negans Scientiam Mediam sit Divi Augustini.* Thesi autem Superiori 6. habet hæc: *Anno 1594. 5. Martij, cùm Molinæ Dogmata, publicè tueretur Antonius de Padilla ejusdem Societatis, Patres Societatis eâdem die ad vesperam, Sacro Tribunali Inquisitionis librum Molinæ tanquam de hæresi suspectum denuntiant.* Reginaldi narrationem utramq;, multis approbant Jansenistæ.

Præmitto 3tiò. Franciscus de Penna refert: *Die* (inquit) *Jovis, 7. Junij 1601. apud Reverendissimum Dominum S. Agathæ* (id est, Julium Sanctium ex Ordine S. Francisci, Episcopum Agathensem) *habita fuit Congregatio, ad quam omnes Consultores, exceptis Regente Carmelitarum, & Procuratore Generali S. Augustini, affirmârunt Scientiam Mediam à Molina assertam, esse inventum à Massiliensibus* (seu Semipelagianis) *& excogitatum ad extenuandam Gratiam effectricem bonæ voluntatis.* Hanc Censuram tubis, & tympanis (ut dicit P. Henao) multoq; verborum strepitu præconat Thomasius, & quidam alij Catholici Scriptores, maximè verò Quesnellus cum suis Jansenistis. His præmissis

Probatur, Ea, quæ in Præmissis tribus superioribus à Jansenistis approbata vel relata sunt, esse gravissimas falsitates.

Falsum, quòd P Molina, Augustinum Divi Titulò ter tantùm cohonestaverit.

Nam in Præmissô imo, duplex impostura Quesnelli continetur. *ima.* Quod bis tantùm, aut ter, Sancti seu Divi Titulô cohonestetur Augustinus à Molina Nam Eleutherius, insignis Theologus testatur, quòd ipse in Vlysiponensi editione Concordiæ Molinianæ, Divi vocabulum, Augustino præfixum, repererit, saltem octies & decies: in Antverpiensi verò editione, ultra vigesies: uti & ego ipsemet numeravi. *2da* impostura gravior, nempe fecisse id Molinam, ut S. Augustinum obliquè deprimeret. Depressitne S. Thomas aliquando & aliquomodo Divum Augustinum? & tamen in Sua Summa Theologica, mille quingentis vicibus Augustini nomen usurpando, nullibi ei præfixit nomen Sancti vel Divi. Depressitne eundem, Magister Sententiarum Lombardus, Episcopus Parisiensis in suis quatuor Sententiarum libris, quòd supra octingentas vices, nomen Augustini usurpaverit, ne semel quidem cum hoc prævio Titulo, Divi vel Sancti? imò ipsemet Jansenius conscripsit, sat magnum volumen dictum *Augustinus Cornelij Jansenij* (adverte: Vicleffus etiam olim hæresiarcha virulentus, à suis nominabatur ordinariè: *Joannes Augustinus*: teste Valdensi lib. 1. Doctrinalis Fidei Antiquæ cap. 34) In suo tamen illo pseudo Augustino, sine prævijs illis Titulis sæpissimè nominat Augustinum, ut constat sufficienter, ex adductis in hoc libro nostro Textibus Jansenij.

Falsum, quòd dicat P. Molina, à S. Augustino negari Scientiam Mediam.

Ubinam P. Molina asserit à S. Augustino negari Scientiam Mediam? Utiq; in sua Concordia q. 14. art: 13. disp: 52. expressè dicit: *DEO, ab Hieronymo, Augustino & alijs Patribus tribuitur Scientia Media*: similiaq; habet art: 18. disp. 53. & alibi. Vide plura apud P. Paulum Leonardum Sherlogum in suis responsionibus ad expostulationes recentiorum quorundam Theologorum contra Scientiam Mediam p. 2. sect. 8.

Falsum item, quòd à Patribus Societatis, liber Molinæ, tanquam de hæresi suspectus, delatus sit ad Tribunal Inquisitionis.

A Patribus Societatis ad Sacrum Tribunal Inquisitionis librum Molinæ tanquam de hæresi suspectum delatum esse, impudens calumnia est: ut ex Authenticis testimonijs plurium virorum præstantium deducit P. Henao, in sua Scientia Media à folio 31.

Quod attinet Censuram. Concedamus, in ædibus Episcopi Agathensis (à Censoribus septem) labe Semipelagianismi erroris notatam

tatam esse Scientiam Mediam, quæ est Princeps Dogma Molinæ, quin & Societatis nostræ. Sed approbavitne illam Censuram aliquis Summorum Pontificum, vel Celebres Academiæ & Universitates Orbis Orthodoxi? Minimè: imò eam improbavit Paulus V. Anno enim 1606. 28. Augusti, die S. Augustino Sacra, majori, melioriqúe Censorum parti adhærens, pronuntiavit, ut omnis doctrina Molinæ indemnis consisteret: proinde evidens est, non censuisse Summum Ecclesiæ Pastorem, Mediam Scientiam esse errorem Semipelagianorum. Reprobant Censuram illam, Academiæ celebriores & ingens (extra etiam Societatem nostram) numerus Virorum, Sapientiâ, Gradu literario & dignitate, librisq; editis præstantissimorum, quorum nomina refert ex parte, P. Henao, in suo libro de Scientia Media Eventilatione 17. à folio 79. ad 82. & quod non leve est, ipse Dominicus Bannez, acerrimus aliàs Molinæ adversarius, minimè approbat Censuram illam. P. enim Alphonsus Ferrerius, Præpositus Provincialis Castellæ, datis ad Claudium Generalem literis, 6. Calend: Novembris Anni 1604. scribit: *Magister Bannezius Cathedraticus in Academia Salmanticensis Theologia, mortuus est Medinæ Campi, die Jovis 21. Mensis hujus, vehemens per Hispaniam Societatis adversarius. Tamen in hora mortis, bene de illa locutus est, dicendo: se bene semper voluiße hominibus Societatis; verùm in Materia de Auxilijs* (& Scientia Media) *dissensisse ab ipsis, vera sentire sese opinantem. At nunc Judicare se Sententiam Societatis esse valde probabilem.* Ita refert Jacobus Possinus in suo compendio Historiæ Controversiarum. Meritò verò Censura illa reprobatur, siquidem Scientia Media à P. Molina & Societate asserta, essentialiter à Scientia Semipelagianorum differt objectô, usu & fine: ut demonstravi suprà in 2da parte Tractatûs Imi.

Censura, si quæ privatim contra Molinæ doctrinam de Scientia Media lata est, ex multis Capitibus improbatur.

Nota 1mò. Auctoritas Censuræ latæ ex pluribus Capitibus diminuitur. *1mo* ex inconstantia Censorum. Illi enim qui Semipelagianismi errorem affinxerant Scientiæ Mediæ, imo, 60. Molinæ Propositiones, ùt erroneas & temerarias damnârunt, postea ex sexaginta, viginti tantùm notatæ sunt Censurâ Propositiones: postremò solummodò sex, vel septem Censuratæ. *2do.* Quia inter illos septem Suffragatores Censuræ, fuit Jacobus le Bussû & Ludovicus de Cre-

il, Doctores Parisienses Sorbonici, exules è Gallia, quia adversi Regi Henrico IV. uterq; illorum alebatur sæpissimè à Francisco Penna infensissimo Societati; & ab Alexandrino Cardinale ex Ordine S. Dominici assumpto, quotidianum panis & vini dimensum accipiebat: cui etiam Cardinali, quidam alij è Censoribus, dignitatem suam Episcopalem debebant. *3tio.* Nullus eorum Censorum antè, exceptô Boviô (qui semper Doctrinæ Societatis eximius fuit Defensor) docuit Theologiam, & si quid in hoc genere studiorum peritiæ habuerant, longâ desvetudine, strepitu negotiorum, domesticis officijs, Auxilijs, occupationibus, multùm evanuerat. Ad hæc Liber ipse Molinæ ignotus tunc Censoribus erat: excerpta tantùm à Bannezio & Alvarez, ex eo, manibus terebantur.

Nota 2dò. Licèt post obitum S. Thomæ, Theologorum Principis, aliquæ ejus Propositiones ab Academia Parisiensi damnatæ fuerint, tanquam Fidei Catholicæ repugnantes, illiq; Decreto condemnativo, subscripserit inter alios Doctores, sapientissimus de Gandavo Henricus, Archidiaconus Tornacensis: ut constat ex ipsiusmet Quodlibeto 2. q. 9. (ad longum id narrant, Ferdinandus del Castillo in Chronico Prædicatorum lib. 3. cap. 31. Thomas Pius à Ponte in Prologo ad 1. par. quæstione unica, dub. 2. innuit id etiam Hieronymus Vielmius, Episcopus Aemoniæ lib. 1. de scriptis & doctrina S. Thomæ) tamen semper illæ Sententiæ Aquinaticæ manent in suo debito robore, nec à Veritate deflexisse censentur. Idem esto Judicium de Scientia Media, etsi Censores illi septem (vix quò ad rerum Theologicarum perfectam notitiam, aliquomodo comparandi celeberrimæ Universitati Parisiensi) eam à Semipelagianismi errore differre non censuerint.

P. Molinæ obitus & Laus.

Nota 3tiò. P. Ludovicus Molina 1600. 12. Octobris Anno ætatis suæ 65, vivere desijt Madriti, quò se contulerat ex recessu Conchensi, & Lucubrationum suarum Sede, ut faciliùs, quæ Romæ ad sui defensionem agerentur, attenderet. Vir erat excelsi animi, & omnium rumorum contra se, portentosis quandoq; mendacijs refertorum contemptor. Ipsi Adversarij prudentiores eum pro Catholico & bono Religioso habent, ut scripsit Cardinalis Bellarminus 9. Martij Anno 1601. ad P. Antonium Padillam, Vallisoleti Theologiæ

logiæ Professorem, Augustinus Antolinez Archi-Episcopus Compostellanus ex Ordine Eremitarum S. Augustini, primarius Doctor Salmaticensis, in suis literis ad R. P. Joannem Baptistam Piumbinum, Procuratorem ejusdem Ordinis Generalem, ex Hispania Romam scribit hæc: *Patris Molinæ tam ingenium, quàm stylus, sublime quiddam spirant, quodcunq; argumentum in manu sumpserit, ornat- hic sanè meus fixus & constans de hoc Viro sensus est; ipsum eò plus gloriæ Divinæ Majestati procuraturum, eò meliùs de Republica Christiana meriturum, quò plures libros Typis evulgaverit.* Ejusdem Familiæ Eremiticæ Augustinianæ Doctor Celeberrimus Fr. Joannes Marquez in sua Epistola ad eundem Piumbinum ait: *Necquidquam apparet in Molinæ operibus, quod non hominem imprimis Catholicum, & consummatè eruditum suboleat, quæ est nostræ Familiæ communis de illo æstimatio.* Sylvester Maurolycus lib. 5to. Oceani Religionum, inquit: *Molinæ eruditus de Auxilijs partus, positus in fornace examinis Pontificij, & sæpiùs igne probatus, deprehensus est Aurum omnibus numeris purgatissimum.* Joannes Sanchez in selectis Theologiæ Moralis disp: 48: *Molina Magister Magistrorum est, cujus scripta tam in Disputationibus Scholasticis, quàm mores attinentibus, lucem absconditis rebus emiserunt.* Plura ejus meritissima elogia vide in Bibliotheca Scriptorum Societatis.

CAPUT VII.

JOannis Vergerij, Jansenistarum secundi Patriarchæ, admirandè erronea Dogmata recensentur.

Vergerij Jansenistæ Propositiones erroneæ viginti.

I. CLarissimum est, Episcopum peccatorem resurgere non posse per Media statui propria, cùm hoc ipso, quo peccator est, statum amittat ex primævo Jure, nec amplius in eo sit. *In suis vindicijs, pag. 629.*

II. Quâlibet vinculi castitatis infractione perimitur Sacerdotium. *In ijsdem suis vindicijs, Vergerius pag. 678. Hæc duo Dogmata conveniunt cum illa Joannis Vicleffi & Hussi damnata Propositione in Concilio Constantiensi: Nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.*

III. Monasticus status nullis magis convenit, quàm lapsis, & facinorosis. *Eadem pag. 678.*

IV. Impediendum omnino est, ne Templa Religiosorum tam multùm frequententur; hunc in finem praxis administrandorum Sacramentorum adhibenda est opposita communi praxi Ecclesiæ hodiernæ. *Vergerius in Colloquio cum Jansenio, cui se interfuisse testatur Prænobilis D. de Rasylli.*

V. Tridentinum Concilium non fuit verum Concilium.

VI. Ejus definitionibus non debet haberi Fides, quia non fuit celebratum juxta morem priscarum Synodorum.

VII. Concilium Tridentinum fuit Concilium Pontificis & Scholasticorum, qui multùm immutarunt Doctrinam Ecclesiæ.

VIII. Contritio, est absolutè necessaria in Sacramento pænitentiæ ad remissionem peccatorum. Attritio cum Sacramento non sufficit. Concilium Tridentinum docens contrarium, in hoc puncto erravit.

IX. Sacramentum pœnitentiæ non delet peccata.

X. Verba absolutionis non sunt operativa, sed declarativa tantùm sui effectûs.

XI. Communio plùs valet, quàm confessio ad delenda peccata, & ad disponendos homines, ut bene moriantur: ideo in periculo vitæ constitutis v. g. Pestiferis, potiùs administranda Eucharistia, quàm Sacramentum pœnitentiæ.

XII. Confirmatio, Sacramentum Ordinis, & consecratio Episcopalis delent peccata tum quoad culpam, tum quoad pænam, æquè ac Sacramentum baptismi.

XIII. In veteri Ecclesia non conferebatur Sacramentalis absolutio peccatorum venialium.

XIV. Confessio Venialium, quam Augustinus appellat Confessionem Justorum, non est Sacramentalis, sed tantùm exercitium humilitatis; & talis Confessio potest fieri Laico primùm occurrenti.

XV. Absolutio est tantùm Sententia declarativa remissionis.

XVI. O quantum à Veritate aberrant, qui existimant Ecclesiam esse Congregationem fidelium compositam ex Summo Pontifice, & Prælatis, Doctoribus, Sacerdotibus, Religiosis, & populo: pauci admodum sunt, qui possint dici Veri Ecclesiæ Filij.

XVII. Congregatio Composita ex Pontifice, Prælatis, Parochis,

chis, Doctoribus, Religiosis & populo, quos videmus uti iisdem legibus, non potest, censeri Ecclesia alio sensu, aut aliâ ratione, quàm, quòd in veræ Ecclesiæ locum successerit: sicut, si quis aquæ cænosæ & putrefactæ occupanti alveum, cujus aquæ olim fuerant vivæ, limpidæ, & salubres, ejusdem fluminis nomen impertiretur.

XVIII. Non in moribus tantùm, sed & in Dogmatibus, Ecclesia est corrupta.

XIX. Episcopi, Ecclesiastici, & Religiosi passim sunt destituti Spiritu Christianismi, Spiritu Gratiæ & Ecclesiæ.

XX. Ex Doctrina Patrum, & Conciliorum, ostendi potest, usque ad quæ sæcula duraverit vera Ecclesia, & quo tempore cœperit ejus destructio; tempus ædificandi, & tempus destruendi: tempus ædificandi transijt, DEUS ipse Ecclesiam destruit.

Nota Imò. Joannes Vergerius fuit Bajonæ Urbis Canonicus, postea Abbas Sancyranus, Jansenij fidissimus Achates, Jansenisticæ hæresis primarium Columen. Cum hoc Vergerio sæpiùs colloquia sua instituerat Episcopus Lingonensis item D. Joannes de Jovaud, Abbas & Secretarius Ordinis Cisterciensis: his duobus etiam sua Dogmata revelavit Vergerius, & primo quidem Dogma 5tum ad 12. inclusivè: ut Episcopus ille Juridicè testatus est Parisijs coram Summo Cancellario Anno 1688. 11. Julij: Secundo, nempe Joanni de Jovaud, aperuit Dogma 14. inclusivè ad 20, ut idem Joannes juridicè & cum Sacramento testatus est Parisijs Anno 1638. 17 Junij.

Nota 2dò. Propositiones Vergerij erroneæ recensitæ, refutatione non egent, cùm per se clarum sit, quòd sensui Catholicæ Ecclesiæ, quæ *est columna & firmamentum Veritatis.* 1ma ad Timoth: 3. Et contra quam, nec portæ inferi prævalebunt, è diametro opponantur.

CAPUT VIII.

EXponitur Jansenij & Jansenistarum Sensus de Sententia Thomistarum statuente infallibilem Gratiæ efficaciam consistere in Prædeterminatione physica.

JAnsenius lib. 2. de Gratia Christi cap. 2. habet hæc: *Qui Medicinalem* (id est efficacem) *Christi Gratiam, sic defendere conantur,* *De Prædetermina-*

tione Thomistica, quid senserit Jansenius? *tur, ut eam in Prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum & innocentium ex vi Primæ Causæ & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profectò Aristotelici, quàm Augustiniani sunt. Nam talis Prædeterminatio sic asserta, non solùm nullo testimonio ejus probari potest: sed potiùs Universam ejus doctrinam, innumeris locis traditam, inexplicabili confusione perturbat: tollit enim indifferentiam integræ lapsæq; voluntatis. Tollit item & obscurat radicem veram necessitatis Gratiæ Medicinalis: nec sinit intelligere veram Naturam ejus, dum æqualiter statuit illam Prædeterminationem omnibus necessariam - Prædeterminatio physica tanquam gratia ab Augustini sensibus est remotissima, & potiùs inhumana Philosophia, quàm Augustiniana Theologia, expressa & inventa est.*

Quid item Jansenistæ? Jansenistæ verò clam in literis ad se mutuò datis, execrantur Doctrinam de Prædeterminatione physica. *Principium* (inquiunt apud Eleutherium) *methaphysicum Præmotionis physicæ & in statu Naturæ & Gratiæ, falsum est pro utroq; statu - JESVitæ in pluribus Congregationibus coram Clemente VIII. & Paulo V. meritò oppugnârunt hoc principium, uti absurdum. Quod facili negotio probari potest. In duabus duntaxat paginis, de Correptione & Gratia, Impressionis Romanæ, quam habes, facillimum erit Thomistas convincere evidenter, quòd nunquam intellexerint, S Augustinum circa Distinctionem Divini Auxilij pro utroq; statu.* Divinant item, aliquando futurum, ut Thomistica, non minùs, quàm Molinistica Doctrina proscribatur. Imo Vallonus, insignis Jansenista, 17. Julij Anno 1699. ad Quesnellum scribit: *Dominicani sunt miseri homines*, & alibi. *Homines isti* (nempe Thomistæ) *plurimùm nocent Veritati, & bonæ causæ.*

An Veritati conforme sit dictum Jansenij & Jansenistarum contra Prædeterminationem physicam, respondendum alijs relinquo, præsertim ipsismet Thomistis doctissimis.



TRA-

TRACTATUS TERTIUS.

IN QUO

Quesnelli Jansenistæ admirandè erronea (utpotè, quæ multùm injuriosas, & ignominiosas notas inurit Sententiæ piæ) evincitur Propositio hæc: Sententia, quæ tenet DEIparam esse immaculatè Conceptam, Opinio est nova, & contraria veritati Scripturarum, ex eaque infertur perniciosa sequela.

PRæmitto Imo. In Jansenistica hæresi fundanda, præter Michaël Bajum & Jansenium, eminuit Vergerius Bajonæ Urbis Canonicus, postea Abbas Sancyranus, cum quo Jansenius, adhuc Bajonæ Collegij Moderatorem agens, hæresim hanc moliri cœpit: nec ambo ab inito Consilio destitêre unquam: ut patet ex literis, ab ipso Jansenio ad Sancyranum datis, quorum autographa asservantur Parisijs in Bibliotheca Claromontani Nostræ Societatis Collegij. In illa verò hæresi defendenda & propaganda, præter Antonium Arnaldum, primas partes novissimè tenuit Paschasius Quesnellus, Oratorij Nominis JESU in Gallia Presbyter, qui non contentus docere Propositiones quinque damnatas Jansenij, & plurimas Bajanas, insuper cum suis Asseclis quibusdam, propugnavit plerasq; erroneas Propositiones Immaculatæ Conceptioni DEIparæ, Primatuiq; Sancti Petri repugnantes, ut constat etiam ex publico Decreto Humberti Gvilhelmi à Precipiano, Archi-Episcopi Mechlinensis, Primatis Belgii: ex quo Decreto

Quesnellus primarius Jansenista, quænam erronea docuerit?

creto, lato Bruxellis in Palatio Arcchi-Episcopali, 1. Novembris Anno 1704 fideliter excerpta, nobis servientia hæc subjungo. De plu-
,rium Ecclesiæ Nostræ Metropolitanæ Dominorum Capitularium, &
,aliorum Sacræ Theologiæ Doctorum, & Licentiatorum, uti & Juris
,peritorum Consilio & assensu, Christi Nomine invocato, & nihil nisi
,Justitiam præ oculis habentes,dicimus,decernimus,& declaramus,ex
,Actis & Probationibus constare, P.Paschasium Quesnell, Parisinum,
,Oratorii Nominis JESU in Gallia Presbyterum, renuisse simpliciter
,subscribere (licèt admoneretur, rogaretur, ac instanter premeretur
,ad hoc à Superioribus suis) Formulæ doctrinali præscriptæ in Co-
,mitiis Generalibus præfati Oratorij Gallici: Idque ea præcipuè de
,causa, quòd Formula ista contineret damnationem doctrinæ Jansenij
,& Baji, quam contumaciam adversùs Superiores suos ne deponeret,
,ex Gallia profugus ab Anno 1685: in Belgio varijs in locis, sed po-
,tissimùm in hoc oppido Bruxellensi, sub fictis nominibus latitavit,
,& ex latebris suis, contumaciæ suæ malum, ulteriùs communicavit,
,varia edendo, ac publicando Opuscula, quibus hæresim Jansenianam
,non obscurè sustinuit- insuper pertinaciam suam prodidit, asserendo
,inter alia: Jansenisimum non esse nisi Phantasma- Concurrit item ad
,impressionem in hoc oppido factam, Historiæ Congregationum de
,Auxilijs (editæ sub nomine Augustini le Blanc) sine ulla approba-
,tione Censoris Ordinarii, & non expectatâ Censurâ nostrâ. Dogma
,Immaculatæ Conceptionis DEIparæ Virginis, numeravit inter Opi-
,niones novas, & contrarias veritati Scripturarum, inferentesq; perni-
,ciosam sequelam, atq; damnatam Sententiam de gemino capite Ec-
,clesiæ satis apertè sustinuit. Quibus omnibus consideratis, declara-
,mus illum, uti de Jansenismo & Bajanismo, aliisq; excessibus suprà
,memoratis convictum, incidisse in excommunicationem aliasque
,pœnas. &c.

Quesnellus, admittendo ut veras Propositiones quinque Jansenij à Sede Apostolica damnatas, erravit graviter: ut demonstratum in Tractatu Imo. Nec minùs à vero aberravit, dicendo: Jansenismum non esse, nisi Phantasma: sustinendoq; Ecclesiæ Sententiam de gemino Capite, damnatam ab Innocentio X: ut ostendi in Tractatu 2do. Numerando verò Dogma Immaculatæ Conceptionis DEIparæ Vir-

ginis

ginis inter Opiniones novas, & contrarias veritati Scripturarum, inferentesq; perniciosam sequelam, quantùm injurius fuerit veritati, exponet Tractatus præsens, demonstrando Propositionem Quesnelli contra illibatum Conceptum Virginis, esse admirandè erroneam. Quidni enim censeatur admirandè erronea illa Quesnelli Propositio, quæ, etsi pluribus constet partibus, nec unica tamen pars ipsius aliquomodo veritati conformis est, sed omnes & singulæ multùm erroneæ: ut patebit ex Capite 1. 2. 3. 5. 6. 7. Quam Propositionem improbat tam Sensus Ecclesiæ Orthodoxæ, quàm miracula & Revelationes: nec non Auctoritas Sanctorum Patrum, etiam S. Thomæ, S. Bernardi, ac eorum omnium, qui ex Celebri Ordine Prædicatorum in Album Sanctorum ritè relati sunt: ut clarum est ex capite 1. 4. 8. 9no. Quam penitus convellunt Argumentis suis, Sancti, Augustinus, Ildephonsus, Bernardus, Thomas, Bonaventura: ut constat ex cap. 6tò. Quæ ejusmodi Propositio est, ut illâ admissâ, ut verâ, gravissima inferrentur inconvenientia. Si Quesnellus præcisè dixisset: *B. Virgo est in peccato Originali Concepta:* tunc minimè censuissem, ejusmodi dictum esse admirandè erroneum: siquidem non omnino pauci viri docti Orthodoxi & Religiosi, illud dictum, ut veritati non dissonum admittunt. Ast, quia piæ Sententiæ injuriosas & ignominiosas notas inurit, ideo Quesnelli Propositionem, meritò admirandè erroneam appello.

Nomine Sententiæ piæ, quidnam hic intelligitur?

Præmitto 2dò. Brevitatis & veritatis causâ, Sententiam illam, quæ tenet B. Virginem sine labe esse Conceptam, cum plurimis gravissimis Theologijs, denotandam à me etiam hic semper, nomine *Sententiæ piæ*. Qui verò sentiunt, Sententiam piam nulli inniti fundamento sufficienti, contraq; eam militare communiter Sanctos Patres, ideoq; sentiunt B. Virginem non sine labe esse Conceptam, horum inquam Sententiam à me denotandam nomine *Sententiæ, quæ opponitur piæ*, vel nomine *Sententiæ rigidæ*. Quesnelli, enim Supradictam Propositionem, non minus piam vel rigidam, sed veriùs esse impiam, & admirandè erroneam, censeo. Licet verò teste Cardinali Sfortia in Historia Concilij Tridentini lib. 7. cap. 7. *Pro Sententia pia, edita est ea librorum copia, quæ ad instruendam Bibliothecam abundè foret.* Et ante ipsum P. Alphonsus Salmeron, unus ex decem primis Patri-

bus Societatis, qui obijt Anno 1585. Tomo 13. suorum operum in Commentarijs suis super Epist: ad Rom. 5. disp: 49. scripsit: *Nullus extitit Doctor, aut Scriptor à quadringentis Annis, qui hanc Controversiam non agitaverit.* Nihilominus, exsurgentibus præsertim de novo hostibus, *Necessarium & utile est* (verbis loquor, & ratione utor S. Prosperi in Epist: ad S. Augustinum) *etiam quæ scripta sunt, scribere: ne leve existimetur, quod non frequenter arguitur.* Maximè, cùm certum sit, non omnia, quæ in hac Materia ab omnibus conscripta sunt, in omnium manus venire: hujusq; Materiæ tractandæ tantam esse amplitudinem, ut tot jam scriptis, & adhuc scribendis, semper etiam aliquid novi addendum supersit.

Cur aliquantum fusè propugnatur hic pia Sententia?

Præmitto 3tiò. Ne mireris Amice Lector, quòd Tractatus præsens arctis non constringatur Limitibus: pro tuendo enim honore Matris DEI, & omnium nostrûm pretiosissimæ, Laconem in scribendo agere, minùs videtur conveniens hanc Materiam tractanti, præsertim ei, qui est ex illo Ordine, cujus Ordinis omnes decem primi Patres (nempe S. Ignatius, S. Xaverius, Petrus Faber, Jacobus Laynez, Alphonsus Salmeron, Nicolaus Bobadilla, Simon Rodericius, Joannes Codurius, Claudius Jajus, Paschasius Broëttus) illibatum B. Virginis Conceptum acerrimè propugnârunt. Quin S. Ignatius. S. Xaverius, Faber, Rodericius, Codurius, Jajus, Broëttus, accepto gradu Magistri in celeberrima Academia Parisiensi, juxta Universitatis illius Praxim, Anno 1497. introductam, Juramentô se obstrinxerunt ad defendendam B. Virginis sine labe Conceptionem. Insuper idem Divus Ignatius, ad comprobandam piæ Sententiæ Veritatem, mortuum suscitavit, ut refert Nierembergius in vita S Ignatij, & Christophorus Schenck in Scientia Salutis, Discursu 20. Bobadilla, in Academia Vallisoletana, & Parisiensi, Professorem: in septuaginta septem Episcopatibus, Missionarium agendo: Laynez cum Salmerone in Concilio Tridentino, illibatæ Conceptionis potentissimi fuêre Advocati: quod ipsum Salmeron etiam in Tomo 13. à Disp. 49. incipiendo, abundè præstitit.

Accidit, quòd Alphonsus Rodriquez Sanctimoniâ & miraculis conspicuus, cum summo ardore spiritûs (ut habetur in ejus vita à P. Michaële Juliano Rectore Collegij Majoricensi conscripta) cæ-

litus

litus sibi revelatum affirmavit: *Unam ex causis, ob quas DEUS Religionem Societatis fundavit, fuisse, ut defenderemus & prædicaremus illibatam Conceptionem suæ Matris.* His prænotatis, sit

CAPUT I.

Sententia pia, non est Opinio nova.

PRobatur. Quia Alexander VII. in Bulla sua edita Anno 1661. quæ incipit *solicitudo omnium Ecclesiarum*, & inter Bullas hujus Pontificis est 117. hanc Sententiam nominat non modò *piam, laudabilem:* verùm & antiquam in Ecclesia DEI: dicit enim: *Sanè vetus est Christifidelium, erga ejus Beatissimam Virginem Matrem Mariam pietas, sentientium ejus Animam in imo instanti creationis atq; infusionis in corpus fuisse à macula peccati originalis præservatam. Sanè vetus.* Nam S. Andreas, ut Còetanci S. Apostolo Presbyteri Achaiæ referunt in Historia de ejus Passione (quam Historiam Cardinalis Baronius ad annum 69, ut legitimam recipit: Sapientissimi verò & gravissimi Viri, ut Lipomanus, Joannes à Lovanio, Bellarminus, ut legitimam probârunt: videturque ab Ecclesia esse approbata: siquidem in Breviario Romano in Festo S. Andreæ legitur) hic inquam S. Andreas dixit: *Sicut primus Adam formatus fuerat ex terra nondum maledicta, ita secundus Adam* (nempe Christus Dominus) *formatus ex terra Virginea, nunquam maledicta.* Nec absimilia protulit S. Jacobus uterq; & S Marcus S. ac Thesiphon Martyr, S. Jacobi, cognomento Majoris, Apostoli, Discipulus: ut adducit P. Salazar in Defensione Immaculatæ Conceptionis Argum: 12. cap. 42. Pennalosa, Velasquez, &c: Luitprandus, Cremonensis Episcopus, Vir ob eruditionem & prudentiam multæ auctoritatis (floruit circa Annum 946. eoq; ipso Anno functus legatione nomine Berengarij Imperatoris ad Constantinum Imperatorem Græcorum) in suo Chronico ad Annum 676: *Immaculatam* (inquit) *Conceptionem B. Virginis Apostoli prædicaverunt ubiq;.* Idem testatur in suo Chronico Eruditissimus Julianus, qui Bernardo Archi-Episcopo Toletano fuit à Sacris Confessionibus circa Annum 1036. Antiquitatem item Sententiæ piæ comprobat Festum Immaculatæ Conceptionis à temporibus Apostolorum in Ecclesijs Armeniæ, Ægypti, Syriæ,

Sententiã piam esse antiquissimam, demonstratur.

riæ, (ut refert Vestmonasteriensis in suo Chronico ad Annum 1228. Galatinus lib. 7. cap. 4. & alij plures) celebrari solitum. In Ecclesijs verò Græciæ, longè ante annos mille; ut perspicuum est ex antiquissimo Græco Canone Ecclesiastico, quem composuit S. Andreas Archi-Episcopus Cretensis, qui floruit circa Annum 550. in quo Canone legitur: *S. Anna concepit hodie intemeratam Immaculatissimam DEI Genitricem, omni ex parte incontaminatam: Ejus nos Sanctam Conceptionem & Immaculatam colamus.* Flavius Lucius Dexter, qui vixit Sæculo quarto, in Fragmento sui Chronici folio 113. scribit: *A S. Jacobi Prædicatione, celebratur in Hispania Festum Immaculatæ & Illibatæ Conceptionis DEI Genitricis.* In Sacello Ecclesiæ Segoniensis, quam fundavit B. Jerotheus S. Pauli Discipulus, legitur ista inscriptio: *A tempore Jerothei, B. Pauli Discipuli, & hujus Civitatis primi Præsulis, illibatam Conceptionem Sanctæ Virginis, hæc Ecclesia tuetur & celebrat.* Conventus Basileensis sessione 36ta. habitâ Anno 1439. ait: *Renovantes præterea institutionem de Celebranda Sancta Ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Ecclesias sexto idus Decembris, antiquâ & laudabili consvetudine celebratur.*

Demum antiquitatem piæ Sententiæ comprobat antiquorum Patrum sensus Sanctus Amphilochius, Iconij Episcopus (à D. Hieronymo in Epistola ad Magnum, ob eruditionem sæculi, & insignem scientiam Scripturarum, eximiè collaudatus) Oratione 4ta, quam in latinum convertit Franciscus Combesis Dominicanus: *Quid* (inquit) *stulte à veritate dissentis? qui enim antiquam illam Virginem* (nempe Evam) *sine probro condidit, & secundam* (id est B. Virginem) *sine nota & crimine fabricatus est.*

S. Hieronymus in Psalmum 77: *Beata Virgo est Nubes diei, quia non fuit* (quale utiq; est etiam peccatum originale?) *sed semper in luce* videlicet gratiæ.

S. Augustinus de Natura & Gratia cap. 36: *Omnes peccaverunt, exceptâ B. Virgine, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem, unde enim scimus, ei plus gratiæ collatum fuisse ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Verba hæc intelligenda sunt de peccatis tam actualibus, quàm originali; ut sat

cla-

clarum est ex illis: *Omni ex parte.* In libro item de quinq; Hæresibus folio 16: *Manichæi dicunt: Non est dignum, ut tanta Majestas per sordes & squalores Fæminæ transisse credatur.* S. Augustinus circa finem folii 18 inducit DEUM respondentem sic: *Hæc, quam despicis Manichæe, Mater mea est, sed manu fabricata est meâ. Unde sordes in Domo, ad quam nullus habitator accessit? Solus ad eam Dominus & Fabricator ejus venit.* Si solus DEUS ad Eam venit, ergo priùs non fuit à Dæmone polluta per originale peccatum.

S. Cyrillus, Archi-Episcopus Alexandrinus in Concilio Ephesino homilia 6ta: *Quis unquam audivit, Architectum, qui sibi Domum ædificavit, Ejus occupationem & Possessionem primùm suo Inimico cessisse?*

S. Ildephonsus, Episcopus Toletanus, qui floruit Anno 650. sermone de B. Virgine: *In ea nullum peccatum primæ originis viguit: ab omni peccato originali immunis fuit. neq; originale peccatum in utero sanctificata, contraxit.*

Sophronius Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola approbata à sexta Synodo: *DEIpara, ab omni contagio seu labe peccati libera fuit.* Si ab omni, ergo & ab Originali labe.

S. Damascenus Homiliâ 2dâ: *Quam, à peccato puram DEUS servâsti.* Et Oratione 2da de Assumptione Virginis, asserit, quòd serpens ad Beatam Virginem aditum non habuerit.

S. Petrus Damiani serm: de Assumptione: *Caro Virginis ex Adamo sumpta, maculas Adæ non admisit.*

S. Anselmus Cantuariensis Episcopus in Commentariis suis, in 2dam ad Corinth: cap. 5: *Omnes mortui sunt à peccatis, nemine prorsus excepto, sed dempta Matre DEI, quæ fuit sine originalibus, & sine voluntate admissis.* In Officio etiam Conceptionis ordinato à Nogverolo, & approbato à Sixto IV, in Lectione Ima sextæ diei Octavæ Conceptionis referuntur verba S. Anselmi ista: *Te igitur Domina, minimè credere queo, morte peccati, in tuo Conceptu potuisse prægravari; considerare animus hoc vetat, intentio abhorret, lingva fateri non audet.* Quodsi dicas, Commentaria illa in Epistolas S. Pauli, veriùs non esse S. Anselmi, sed Hervæi Natalis, ut sentit etiam Bellarminus; parum refert: Nam Hervæus fuit doctissimus, & sat antiqvus Theologus, floruit enim Anno 1320: quodq; Notatu dignissimum: fuit totius Sacri Ordinis Prædicatorum, Magister Generalis.

S. Bruno Fundator Sacri Ordinis Carthusianorum, in Psalm. 105: *Hæc incorrupta terra illa, cui Benedixit Dominus: ab omni propterea contagione peccati libera.*

S. Norbertus Religionem suam instituit in honorem illibatæ Conceptionis: unde Reverendissimus Quintanella in Epistola ad Philippum Regem: *Ad nullam Religionem ita pertinet, tueri Articulum de pura Conceptione, sicut ad istam Præmonstratensem, quoniam à quingeptis Annis, Ejus Fundator S. Norbertus eam consecravit Immaculatæ Conceptioni.* Ex dictis patet, Magnum Franciscum Suarez in 3. p. q. 27. art: 2. sect: 6. meritò scripsisse: *Hæc veritas* (de Immaculata Conceptione) *à Sanctissimis & antiquissimis Patribus, &, ut creditur, etiam ab Apostolis tradita est.* Erravit ergo graviter Quesnellus, dum asseruit; Sententiam piam, esse opinionem novam.

CAPUT II.

SEntentia pia non est contraria veritati Scripturarum asserentium, omnes homines in Adam peccâsse: & Christum esse Universalem omnium hominum Redemptorem.

In illa Propositione: Omnes in Adam peccaverunt; *non includi B. Virginem, deducitur ex Scriptura.*

PRobatur quoad 1mum. Scripsit quidem S. Paulus ad Romanos cap. 3. *Omnes peccaverunt & egent gloriâ DEI*: & cap. 5. *Per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, in quo omnes peccaverunt.* Attamen in his ac similibus Scripturæ Sacræ generalibus Propositionibus non includi DEIparam. Constat imo ex eo. Nam idem S. Apostolus in illo ipso capite tertio, habet Propositiones Universales etiam has: *Omnis homo mendax. Omnes sub peccato sunt. Non est justus quisquam: Non est intelligens, non est requirens DEUM. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum:* & ad Philippenses 2do. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ JESU Christi.* Scripsit & S. Joannes Epist: 1. cap. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, mentimur.* Jeremias cap. 6. *A minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur.* Item, licèt in scriptura, Ecclesiastici cap. 40. universaliter dicatur: *Omnia, quæ de terra sunt, in terram revertentur.* Totique generi humano impositæ

positæ sunt leges istæ: *In pulverem reverteris. Paries in dolore.* Nihilominus extra omne dubium apud Catholicos est, illas Propositiones Universales debere accipi in sensu accõmodo restringente. Certum enim, non solum Christum Dominum, quà hominem, ast & Virginem ejus Matrem, nullum commisisse peccatum actuale: nec Eam ullos in partu dolores sensisse: nec Corpus ejus resolutum esse in pulverem. Ita pariter etiam accipiendæ in sensu accõmodo Propositiones de transfusione originalis peccati in omnes homines: loqvuntur enim de lege communi, non de privilegio, & exceptione. Convenit B. Virgini illud Assveri Esth: cap. 5: *Noli metuere, non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus lex hæc constituta est.* Imò, ut notat Cornelius à Lapide in cap. 5tum Epist. ad Romanos. Nulla est lex tam generalis, quæ non patiatur exceptionem. Constat 2dò. Quia Tridentinum Concilium perpensis hujusmodi Propositionibus Scripturæ, quibus asseritur, omnes in Adam peccâsse, postquam Sessione 5ta definivisset: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non etiam ejus propagini asserat nocuisse, anathema sit*; paulò post subjungit: *Declarat tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam DEI Genitricem: sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pænis in ejus Constitutionibus contentis, quas innovat.* Hinc patet, quòd Sacrum Concilium non censuerit in illis Propositionibus Universalibus, comprehendi Beatissimam V. Quia verò Sixtus IV. in illis Constitutionibus, nempe duabus, quarum una incipit: *Cum præexcelsa*, 2da incipit: *Grave nimis.* Sententiæ nostræ piæ magis favit: sequitur, Concilium quoque magis favisse. Porrò Sixtum IV favisse in illis Constitutionibus, Sententiæ piæ, evidens est. In priori enim, solenne Festum Immaculatæ Conceptionis instituit, & illud Celebrantibus, Indulgentias easlargitus, quas Urbanus IV. Celebrantibus Festum Corporis Christi à se constitutum, concesserat. In posteriori verò Constitutione, condemnat Propositiones istas: *Qui tenent B. Virginem absque peccato Originali Conceptam, mortaliter peccant & sunt hæretici. Qui celebrant Festum Conceptionis, vel intersunt Concionibus, in quibus Beata Virgo, in sua Conceptione Immaculata prædicatur, alicujus peccati reatum incur-*

Ex Concilijs.

currunt. Accidit. Quòd postquam inter alios Doctores P. Jacobus Laynez, unus ex decem primis Patribus nostræ Societatis, & protunc Theologus Pontificius, à Sede Apostolica missus ad illud Concilium, perorasset in illo Orbis Theatro pro hac pia Sententia per tres propè horas; omnes Patres Concilij Tridentini, exceptis paucissimis, iisq; præter unum aut alterum Dominicanis, suffragium dederunt pro Immaculata Conceptione definienda: quod & factum fuisset, nisi ob instantissimas preces, aliquot Episcoporum & Theologorum Ordinis S. Dominici, dilationem postulantium, res fuisset dilata: ut ex ipsis actis Originalibus hujus Concilij asservatis Romæ in Castro S. Angeli refert oculatus testis P. Nicolaus Lancicius Tomo 2do, Opusculo 11. cap. 13. Doctor item Hieronymus Ormachea in Cantica, Prolegomeno 3tio scribit: *Memini me Romæ legisse totam Sessionem Sacri Concilij Tridentini de peccato Originali, prout omnes illius Patres sua ferebant suffragia formalibus verbis: & illud fuit mihi valde mirandum, quòd paucissimi Episcopi, aut ferè nullus contra Immaculatæ Conceptionis Sententiam, suum Calculum expresserit, qui non esset ex Sacratissima Divi Dominici Familia ita, ut Secretarius Concilij hanc referens circumstantiam, semper subscriberet: Et hic Episcopus, erat Dominicanus.* Constat 3tiò. Quia Conventus Basileensis non tantùm non censuit in illis Propositionibus ex S. Paulo adductis de peccato originali, includi B. Virginem, verùm insuper Anno 1439. Sessione 36. formavit ejusmodi Decretum: *Doctrinam illam differentem, B. Virginem nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab originali & actuali culpa, tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & S. Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam definimus, & declaramus, nulliq; licitum esse in contrarium prædicare & docere.* Quamvis verò Concilium hoc fuerit acephalum, & non legitimum; nec Sententia ab eodem lata mereatur habere authoritatem Canonis, veritati tamen patrocinatur. Tum, quia paulò post in confirmationem veritatis atrox lues pestifera, quæ grassabatur Basileæ, cessavit, ut refert Spondanus Episcopus Appamiarum ad Annum 1439. Tum, quia Cardinalis Sfondratus in libro, cui Titulus: *Innocentia vindicata*, agens de Conceptione B. V. M, citans Concilium Provinciale Avenio-

nionense Anno 1457. affirmat, eandem veritatem de Immaculato Conceptu. Tum, quia institutum est in hac materia acuratissimum Examen: quadriennio enim antè, id est Anno 1435. Cardinali Arelatensi injunxit Basileensis Conventus, ut diligenter procuraret per omnes Bibliothecas, ac singula Archivia Universitatum, Ecclesiarum, Monasteriorum Regumq; ac Principum perquiri quoscunq; libros, scripta, Acta, Deliberationes, Decisiones publicas & privatas in Generalibus studijs, & alibi de hac materia factas, easq; extrahi, & ad Synodum deferri, ut ijs adjuta, posset quæstionem hanc decidere & definire. Ut testantur Acta Concilij hujus apud Spondanum. Concilium item Oxomiense celebratum in Anglia Anno 1222. & Cantuariense celebratum ibidem Anno 1328. aliaq; supra octodecim Concilia, ut videre est apud eruditissimum Nierembergium in Exceptionibus Concilij Tridentini cap. 6. 7. 8. 9. multùm favent puritati Virginis Originali. Constat 4to. Tum, quia Patres eximunt B. Virginem ab illarum Propositionum Universalitate. S. enim Anselmus in Officio Nogveroli Lect: 4ta ait: *Vas electionis, S. Paulus Omnes homines in Adam peccâsse fatetur: Vera utiq; Sententia, & cui contradici nefas esse pronuntio: sed cùm eminentiam gratiæ in Te Maria Virgo considero, sicut Te, non intra omnia, sed supra omnia, quæ facta sunt, ineffabili modo intueor: ita & Te in lege naturæ aliorum in Tua Conceptione non devinctam fuisse opinor.* S. Augustinus Sermone de Virginis Assumptione: *Non immeritò Maria excipitur à quibusdam Generalibus vera æstimatione, quam tanta servat gratia, & extollit dignitatis prærogativa.* Albertus Magnus in libro de laudibus Mariæ (vel ut alij volunt, Richardus à S. Victore) *Hæc enim Virgo sola, à communi illa Regula excipitur: Omnes in Adam peccaverunt.* Tum, quia idem probant omnes rationes, quæ afferri solent pro illibato Conceptu Virginis, quarum sat multas reperies in art. 5. 6. 7. & passim alibi in alijs Articulis.

Ex Patribus.

Minimè etiam, Dogma Immaculatæ Conceptionis contrariatur Scripturæ Sacræ, asserenti, Christum Dominum esse Omnium hominum Redemptorem: Omnes enim fatemur, B. Virginem indiguisse Redemptione, ac propriè strictè redemptam fuisse à Christo Domino: contraxerat enim B. Virgo debitum peccati Originalis incurrendi, debitum

Christus Dominus est verus Redēptor B. Virgi-

nis Immaculatè Conceptæ: quod ipsũ Probatur Ratione & Auctoritate.

tum inquam saltem remotum, situm, in eo, quòd vi suæ generationis viâ ordinariâ factæ, certò peccâsset in Adamo, nisi fuisset pretiô Sanguinis & meritorum Christi exempta à lege, omnes adjiciente homines servituti peccati: ideoq; à Christo Domino verissimè, propriè, strictè redempta fuit, & Redemptione quidem excellentissimâ, id est, non curativâ, sanativâ, sed præservativâ. Præter enim Redemptionem Sanativam, datur juxta Scripturam & Patres Redemptio præservativa. Psalmo enim 143. dicitur: *Qui redemisti David Servum tuum de gladio maligno.* nempe Goliæ, præservando Davidem à vulnere: & hæc est optima Redemptio, quæ casum avertit. S. Augustinus in verba illa Psalmi 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* ita ait: *Eruisse DEUM animam suam ex inferno inferiori, dixit: quia liberavit se à talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris. Quemadmodum si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem, fortè ex aliquo labore, & dicat: Parce tibi, sic te tracta: requiesce, his cibis utere: nam si non feceris, ægrotabis: tu autem si feceris, & salvus fueris, rectè dicis Medico: Liberâsti me ab ægritudine, non in qua jam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem: venit alius, defendit eum: gratias agens, quid dicit? Eruisti animam meam de carcere &c:* S. Bernardus serm: 21. super Cantica: *Christus Dominus, qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur: sic illum de captivitate eruens, sic hunc à captivitate defendens: & hâc ratione fuit æquè utriq; Redemptor, solvens illum, & servans istum.* S. Thomas in 4tum Sen distinct. 43. q. 1. art: 4. ad 3: *Oportet* (inquit) *ponere, quòd quilibet personaliter Redemptione Christi indigeat, non solùm ratione Naturæ; liberari autem à malo, vel à debito absolvi non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in morbum incidit: Unde dimissio debitorum, vel liberatio à malo, intelligi non potest, si aliquis sine debito, vel immunis à malo nascatur.* En S. Doctor agnoscit & admittit Redemptionem præservativam, quæ non à malo liberat, sed tantùm à debito incurrendi malum. Proinde, ut B. Virgo dicatur Redempta, etiam ex mente S. Thomæ, sufficit in illa debitum fuisse contrahendi Originale peccatum. Item acutè & solidè, subtilis Scotus in 3tium, distinct: 3. quæst: unica, de Conceptione B. Virginis disserens, ait: *Ipsa enim contraxisset peccatum Originale ex ratione propagationis communis,*

munis, nisi fuisset præventa per gratiam Mediatoris: & sicut alij indiguerunt Christo, ut per Ejus meritum, eis remitteretur peccatum jam contractum: Ita illa magis indiguit Mediatore præveniente peccatum, ne esset ab Ipsa aliquando contrahendum, & ne Ipsa contraheret. Quare autem magis indiguit B. Virgo Mediatore & Redemptione, quàm quicunq; alius: inde est. Quia (ut doctissimè ibidem subtilis Doctor inquit) Tantò magis indiguit Redemptione, quantò majus bonum sibi conferebatur per Redemptionem: Cùm igitur majus bonum sit Innocentia perfecta, quàm post lapsum culpa remissa, majus bonum sibi conferebatur, præservando ipsam ab Originali culpa, quàm si postea fuisset purgata.

An B. Virgo contraxerit debitum aliquod peccati Originalis proximum, controvertitur.

Nota: licèt piæ Sententiæ Defensores conveniant, B. Virginem sine labe Conceptam contraxisse aliquod debitum peccati originalis incurrendi: disconveniunt tamen, an præter debitum remotum superiùs explicatum, contraxerit etiam debitum proximum, situm in eo, quòd ejus voluntas, æquè ac cæterorum Posterorum, fuerit moraliter contenta in voluntate Adami, peccato consentientis. Contraxisse debitum hoc proximum, affirmant etiam ex Nostris Gravissimi Theologi, ut Suarez, Vasquez, Bellarminus, Cornelius, à Lapide & alij. Negant communiùs Recentiores Nostri, ut Salazar, Granado, Cardinalis de Lugo, Aldrette, Morawski, & alij. Affirmantium Ratio est, quia hoc videntur indicare Universales scripturæ & Patrum locutiones, docentium, omnes in Adamo peccasse: admissoq; hoc debito, meliùs intelligitur, quomodo B. Virgo indiguerit Redemptione. Negantium verò Ratio est. Tum, quia S. Augustinus in Expositione Symboli, & Orationis Dominicæ ait: *Conveniens erat, ut lege peccati, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Mater DEI non teneretur obnoxia.* Et S. Anselmus in libro de Conceptu Virginali & peccato originali cap. 18: *Dicebat* (inquit) *Ut Christi Conceptio de Matre Purissima fieret: nempe decens erat, ut eâ Puritate, quâ Major sub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Tum, quia videtur id spectare ad DEIparæ Dignitatem, ut etiam debitô proximô peccandi careret. Tum, quia frustra in pacto cum Adamo inclusisset DEUS B. Virginem, quam præviderat omnino ex illo pacto eximendam defacto. Hæcq; secunda opinio videtur mihi probabilior.

CA-

CAPUT III.

Pia Sententia varijs Scripturæ Sacræ locis firmatur.

Sententia pia ex Genesi, Canticis, Proverbijs, Psalmis, & alijs Scripturæ varijs locis.

DIcitur Genesis 3. *Ponam Inimicitias inter te & Mulierem: & Ipsa conteret Caput tuum.* Ubi ex multorum Sensu Interpretum, B. Virgo significatur, caput serpentis, id est peccatum originale, ita contrivisse, ut ea nunquam infecta fuerit.

Cantic: 2do. *Sicut lilium inter Spinas, sic Amica Mea inter filias.*

Cantic: 4to. *Tota pulchra es, & macula non est in Te, macula inquam peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in Te, nec unquam fuit, vel erit,* ut explicat sapientissimus Idiota libro de contemplatione Virginis cap. 2. S. Bernardinus Senensis Tomo 1. Serm. 52. de salutat: Angelica. *Fuit B. Virgo sine primo Væ, id est sine Tyranno concupiscentiæ originalis, quia sine ipso concepta est, juxta illud: Tota pulchra es Amica Mea, & macula non est in Te, scilicet Originalis culpæ.* Similiter prædictus Textus Scripturæ explicatur in Officio Conceptionis, approbato à Sixto IV.

Cantic: 2do. *Hortus conclusus:* ad quem ut dixit S. Damascenus Oratione 2da: de Assumptione Virginis. (Serpens aditum non habuit) *Fons signatus.*

Verbis item illis Lucæ 1mo. *Gratiâ plena, Benedicta Tu in mulieribus,* denotatur B. Virginis immunitas ab omni prorsus labe peccati. Hinc S. Thesiphon Martyr, S. Jacobi Discipulus scripsit: *Nequaquam Angelus diceret Virginem Gratiâ plenam, si in Originali peccato Concepta fuisset.*

Joseph ut legitur Genesis cap. 47. Omnem Terram Ægypti subjecit Pharaoni, & cunctos Populos, præter terram Sacerdotum. Terra benedicta & Sacerdotalis teste Ecclesia, est B. Virgo. Quidni etiam censeatur Privilegiô exempta speciali à culpa originali, ne unquam subjecta fuisse dicatur potestati infernali.

Noluit DEUS in Altari à Gentilibus profanato offerri sibi Sacrificia; ut habetur 1mo Machab: cap. 4to. Noluit item Corpus suum deponi, nisi in monumento, in quo necdum quisquam repositus erat: & credemus, à DEO Electam sibi Matrem, peccato gravi Originali profanatam, & in cujus anima prius reposita erat noxa mortifera?

Pro-

Proverb: 8vo. *Nondum erant abyssi, & ego jam Concepta eram.* Albertus Magnus in Tractatu suo, cui Titulus *Biblia Mariana* ait: *Necdum erant abyssi, id est Dæmones: vel abyssi miseriæ, & peccati: & ego jam Concepta eram: scilicet, in præsentia & prædestinatione DEI, ut exhiberem lucem contra tenebras, gratiam contra culpam, vitam contra mortem - Ipsa est sine omni peccato Nubes purissima. Isaiæ 19. Ecce ascendet Dominus super Nubem levem - Ipsa est Opus totius Novitatis, Ieremiæ 31. Creavit Dominus Novum super Terram: imò in Cælo & sub terra. Fæmina, id est Maria Immaculata.* Eccl. 24.

Exodi ultimo: *Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij & gloria Domini implevit illud.* Ex hoc loco S. Thomas 3. par. q. 27. art: 2. infert: *Ergo B. Virgo non fuit Sanctificata, nisi postquam ejus cuncta perfecta sunt, scilicet Corpus & anima.* Sed in primo instanti unionis Animæ cum Corpore perfecta sunt B. Virginis cuncta, nempe Corpus & Anima. Ergo in primo instanti unionis, B. Virginem gloria Domini implevit seu sanctificavit.

Psalmo 45. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* S. Vincentius Ferrerius Serm: 1. de Nativ: *Quando Corpus B. Virginis fuit perfectè Organizatum, & Anima illi conjuncta per creationem, tunc Altissimus Sanctificavit tabernaculum suum.* Et Serm: 2. de Nativ. *Non credatis, quòd fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur; sed statim, ac anima fuit creata, fuit Sanctificata, & statim Angeli in Cælo celebrârunt Festum Conceptionis.*

Exodi 3tiò: *Videbat Moyses, quòd rubus arderet, & non comburêretur.* S. Ludovicus Bertrandus in sermone suo de Purissima Virgine Valentiæ habito, ait: *Hæc est Rubus ille Moysis, qui ardebat & non consumebatur: ardebat hæc; nam more reliquorum ex Adamo descendentium ex semine Virili & ardore concupiscentiæ, fuit Concepta; verùm incombusta, ac à communi peccati Originalis incendio remansit illæsa.* Adverte, S. Ferrerium & S. Bertrandum fuisse ex Ordine S. Dominici, Genesis 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas: dixitq; DEUS: fiat lux & facta est lux. Ecce* (inquit S. Vincentius Ferrerius serm: 2. de Nativitate B. MARIÆ) *Conceptio Virginis MARIÆ, lux dicitur illa benedicta generatio B. Virginis MARIÆ, quia sine tenebris culpæ facta est.*

Psal: 84: *Benedixisti Domine Terram tuam, avertisti captivita-*

tem Jacob. S. Bruno in Psal: 105. *Hæc est incorrupta terra illa* (nempe B. Virgo) *cui benedixit Dominus; ab omni propterea contagione peccati libera, per quam vitæ viam cognovimus.*

Matthæi 10. *Inter Natos mulierum, non surrexit major Joanne Baptista.* Paulus de Palatia, eruditissimus Commentator Scripturæ Sacræ, in locum illum citatum, ait: *Ex quo loco sub aliorum censura apertè colligo, Virginem MARIAM in peccatum originale non cecidisse: patet manifestè: Joannes est major omnibus, qui ceciderunt & surrexerunt: at non est Virgine major. Igitur Virgo non cecidit. Fateor, nescio hoc Argumentum dissolvere.* Huc referri potest & illud, quod S. Bernardinus Senensis serm: 49. de Amore glorioso, qui incipit: *Ecce quam bonum*, scripsit: *Quia Christus non cecidit in aliquo peccato Conceptionis, nec actualis, & similiter Beata Virgo; ideo non dicuntur surgere, sicut omnes cæteri homines, qui ceciderunt & cadunt ab Adam citra peccatum originale.* Idem S. Bernardinus Senensis Tomo 4to serm: 49 post Pascha, ex eo etiam comprobat B. Virginem sine labe esse Conceptam, quia primi Parentes producti sunt in innocentia. *Certum est* (inquit) *quòd DEUS creavit Adam sine peccato originali ex limo terræ: deinde ex costa ejus creavit Evam etiam sine peccato. Et certum est, quòd Christus incarnatus fuerit DEUS & homo, & fuit major, quàm Adam & Eva: modò non est credendum, quòd ipse Filius DEI voluerit nasci ex Virgine & sumere ejus carnem, quæ esset maculata aliquo peccato originali? Imò credendum est, quòd voluit sumere carnem ex carne purissima; & quòd ejus Mater fuerit plus, quàm Eva & Adam, qui creati fuerunt sine peccato originali.*

S. Bernardus sermone de verbis Apocalipsis: *Signum magnum*, ait: *Defectus omnis sub Beata Virgine, & quidquid fragilitatis seu Corruptionis est, excellentissimâ quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit & supergreditur creaturis, ut meritò sub pedibus ejus, luna esse dicatur.*

Richardus à S. Victore Exposit: 2. cap. 40. in Cant: inquit: *Est autem luna sub pedibus B. Virginis, quia omnis homo, præter Eam, defectum habuit.*

CA-

CAPUT IV.

Sententiam piam non esse contrariam Veritati Scripturarum, ipsemet DEUS comprobavit Miraculis, & Revelationibus.

Probatur. Sententia pia est confirmata à DEO Miraculis & Revelationibus. Ergo DEUS ipsemet comprobavit Eam non esse veritati Scripturarum contrariam. Consequentia patet. DEUS enim, utpotè Veritas ima in Essendo, Cognoscendo, & Dicendo, nihil dissonum Veritati Scripturarum dicere & revelare potest sive mediatè sive immediatè; Jam verò Miraculi patratio, est reflexa saltem æquivalenter locutio DEI, docens Doctrinam Miraculô confirmatam, esse ipsius DEI. Unde dicitur ad Hebræos 7: *Contestante DEO signis & portentis.* Marci ultimo: *Illi autem* (id est Apostoli) *profecti, prædicaverunt, ubiq; Domino cooperante & confirmante sequentibus signis.* Joannis 5. dicit Christus: *Opera, quæ ego facio, Testimonium perhibent de me.* S. Thomas Quodlib: 2. art: 6. *Miracula* (inquit) *Visibilia, fiunt virtute Divina ad confirmationem Virtutis fidei.- Contingere non potest, quòd quis, falsam Doctrinam annuntians, vera Miracula faciat, quæ nisi virtute Divina fieri non possunt, sic enim DEUS esset falsitatis Testis, quod fieri non potest.* Antecedens jam probatur Enumeratione Miraculorum aliquorum saltim. In Officio Bernardini de Bustis, approbato à Sixto IV, in 3tio die Octavæ Conceptionis Lect: 4. sic habetur: ,Legitur in quodam B. Dominici Opusculo, quòd, cùm Regularis esset Canonicus in Episcopatu Tolosano contra Hæreticos quosdam ,disputando contendit: Qui multas Veritati contrarias Conclusiones ,asserebant. Inter alias autem Opiniones hanc Populis prædicabant; ,Beatam scilicet Virginem non fuisse ab Originali vitio præservatam. ,Cùm verò Beatus Dominicus, se non posse illis veritatem persvadere conspiceret, taliter cum eis convenit: ut suas pariter Conclusiones in ardenti fornace deponerent, quæ autem ignis ardore non deficerent, veridicæ putarentur. Deposuêre igitur Hæretici suas in ,medio ignis Conclusiones, inter alia multa dicentes: Originali maculâ contaminata fuit Virgo Maria: in contrarium verò Beatus Dominicus affirmavit. Statim verò falsas Hæreticorum Conclusiones

Sententiæ piæ Veritas stabilitur enumeratione miraculorum.

'vorax flamma consumpsit, Beati verò Dominici verissima dicta, in
'medio ardentis flammæ sine ulla penitus læsione, nulloq; in eis ignis
'apparente indicio per tres continuos dies perstitêre. Hanc Historiam præter antiqua Breviaria teste Vincentio Justiniano Antistite ex Ordine Prædicatorum, in Additionibus ad vitam B. Ludovici Bertrandi: item præter Munimenta antiquissima in archivis Urbis Barcinone asservata, contestantur plurimi fide dignissimi, ut Petrus Larnensis, in Hist: Albigens. cap. 7. quamvis in novis Editionibus abrasa sit. Antonius Cucarus in Elucid. P. Salmeron in Epist: ad Rom. Canisius lib. 1mo de DEIpara cap: 7. Coccius lib. 3. Thesauri, & alij plurimi.

Ambrosius Catharinus, Episcopus Minoriensis, pòst Archiepiscopus Compsanus ex Ordine Prædicatorum assumptus, in Opusculo à se Romæ edito pro Immaculata Conceptione ait: Cùm essem à latronibus in itinere cum tribus Comitibus circumvallatus, B. Virginem invocavi, ut me ita eo discrimine redimeret, sicut Ego illam Redemptam credidi: sic nempe, ut à captivitate peccati Originalis, quam alioqui erat incursura, fuerit præservata. Unde Ejus ope factum est, ut solus fuerim à Captivitate & spoliatione præservatus: tribus alijs Comitibus meis captis, spoliatis, ac postmodum liberatis: qualiter B. Virginem ab Originali liberatam, non præservatam, volunt Adversarij.

Theophilus Raynaudus, Vir consummatæ eruditionis ac scientiæ, Tomo 8vo in Tractatu de Pietate Lugdun: folio 293. scribit:
,Joannes de Viterbio Dominicanus egerat primùm adversus Conce-
,ptionem Immaculatam; sed cùm infirmaretur ad mortem, emisit vo-
,tum in hæc verba: O Beata Virgo MARIA, si verum est, quòd sine
,macula peccati Concepta fuisti, rogo, mihi sanitatem donare digne-
,ris in signum tuæ Puritatis: & ego voveo, toto tempore vitæ meæ
,celebrare Festum Conceptionis, & annuntiare populis innocentiam
,Tuam, & retractare, quidquid in contrarium prædicavi. Dixit, &
,illico sanatus: Datôq; Campanæ signô, populum ad Concionem e-
,vocare curavit. Stupentibus Medicis, qui deploratum viderant; &
,quamvis Sodales, mutatam ejus mentem ferrent gravissimè, persti-
,tit tamen, nec ullis precibus aut minis, ac persecutionibus actus est
in

in transversum. Conscripsitq; opus integrum de Immaculata Con-
,ceptione. Quòd autem hoc opus in Indice librorum ab eo conscri-
,ptorum non appareat apud Antonium Senensem, potuit contingere,
,quia opus illud erat parùm gratum: nam ex ea ipsa causa Anto-
,nius Senensis oblitus est primi Nominis sui, quòd fuit: Antonius
,à S. Conceptione. Hucusq; Raynaudus.

Joannes Duns Scotus, ob doctissima præsertim, & victoriosissima Certamina pro Innocentia B. Virginis habita, Doctoris Subtilis Titulô ab Academijs Oxoniensi, Parisiensi, Coloniensi & à Legatis Sedis Apostolicæ, donatus: omnium ferè consensu, Maximus Immaculatæ Conceptionis Vindex: is cùm Parisijs Aulam disputationi destinatam, in qua etiam jam consederant Sedis Apostolicæ Legati, ingrederetur: Cernens Marmoream Virginis statuam, Januæ impositam, in genua procidit, dicens: Dignare me, laudare Te, Virgo sacrata: Da mihi virtutem contra hostes tuos. Cui protinus marmor caput inflexit, servaturq; hucusq; hæc statua capite demissô salutantis, & annuentis more. In illa porrò Disputatione, ducenta Argumenta posita contra Immaculatam Conceptionem Virginis ita exnunc repetiit, quasi Angelus suggereret: ita dissolvit, quasi Angelus responderet. Ut refert Hugo Cavellus in vita Scoti. Pineda in Adver: Princip. Ruiz, Lezana, Labbe, Bonaventura Baro, in monumentis Joannis Scoti, & alij.

Anno 1428 8. Septemb: Franciscus Muletus in Jure Baccalaureus, Canonicus Manresanus, à quodam Francisco Planes, in Templo Principe Manresano interfectus, post aliquot mortis horas, B Virginis gratiâ, quam impensè coluerat, licèt ei immunitatem ab Originali labe pertinaciter negaret, vitæ est restitutus, & novem duntaxat horas postea vixit: quo tempore sæpiùs testatus est, se ad hoc fuisse iterum ad vitam revocatum, ut Sacramenta susciperet, suamq; Opinionem, quam justo acriùs defenderat, revocaret, & piam de Immaculata Conceptione Sententiam, quam ante Tribunal Christi, veram esse didicerat, prædicaret, & ut piam ac verissimam omnibus commendaret. quod prolixè præstitit, ac post novem vitæ sibi redditæ horas, ut prædixerat, Sacramentis ritè susceptis, iterum piè obijt. Ita refert Joannes Serranus Episcopus Acernensis, Franciscus de Tor-

res, Josephus Minot Canonicus ac Officialis Generalis Ecclesiæ Barcinonensis in publico Instrumento ad Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales dato, die 20 Decembris Anno 1653. Sifilinus, in Corolla Virginea, qui relatâ Historiâ addit: *Hæc narratio est liquidissimæ ac firmissimæ Auctoritatis, cùm de ejus Veritate ab ijs, qui rebus fidei in Hispania præsunt, authentica inquisitio sæpiùs facta sit, nempe 1484. 1525. 1618. 1653. & inventa sit invictè probata, adeoq; pro verissima ab omnibus habita. Unde* (addit ille) *nullam hactenus, exceptis ijs, quæ Sacris Codicibus continentur, legi Historiam, quæ majorem Auctoritatem & fidem præseferat.*

De Beato Joanne à S. Cruce, vitæ Sanctimoniâ & Miraculis insigni, & quem Carmelitæ post S. Teressiam Parentem agnoscunt & colunt, scribit Marracius cap. 37. Fundatorum Marian: *Quanquam quosvis Sacros Deiparentis dies commendatissimos habuit, Immaculatæ tamen Conceptioni diem dicatam, singulariùs propterea & inter mortales agens ab eadem Virgine multis gratijs cumulatus fuit, & post funus in membris ejus, Purissimæ Conceptionis ejus Imago visa est.*

Anno 1617. quo die Cursor Regius pro Immaculata Conceptione, Pauli V. Decretum attulit Madritum, ubi descendit ex equo, lampas nocturnis tantùm horis coram Imagine DEIparæ accendi solita, mediâ plateâ, clara die sponte ardere cæpit consumptô exiguô, quod à præterita nocte superearat oleô, *perduravit flamma, ipsâ quæ supposita erat, aquâ, ignis fomentum suppeditante*, ut scribit Eusebius Nirenbergius libro uno de Miraculis Naturæ in Europa cap. 68. Eodem anno videlicet 1617. coram Paulo V: inter cætera miracula pro Immaculata Conceptione retulit Bellarminus & hoc, *Naves, quæ signô Immaculatæ Conceptionis caruêre, naufragiô sepultæ sunt. Illis tantùm feliciter appulsis, quibus Immaculatæ Virginis Imago pro Castoribus fuit.*

Item firmatur revelationibus. Revelationibus etiam plurimis DEUS comprobavit piam Sententiam. Regestrum Franciscanum triginta duas enumerat Revelationes factas; scilicet S. Brigittæ, S. Anselmo, Sanctæ Hildegardi, S. Gertrudi, S. Mechtildi, S. Elisabethæ Hungaræ, S. Franciscæ Romanæ, Beatæ Angelæ Bohemæ, S. Norberto, Helvino Abbati, Fantino Episcopo, Petro Villariensi, Jacobo de Marchia, Beatrici de Syl-

vâ,

va, Alphonso Rodriquez & alijs. Inter has 32. Revelationes magis authenticæ Revelationes sunt Sanctæ Brigittæ. Nam (ut ostendit Joannes Turrecremata, Sacri Palatij Apostolici Magister, postea Cardinalis, in Prologo Defensionis earundem Revelationum cap. 1.) Urbanus VI, Anno 1377: & post aliquot annos, Gregorius IX: multis peritissimis ac circumspectissimis Cardinalibus Episcopis ac Magistris, examinandas commisit Revelationes illas, & postea uterq; Papa conformiter ad relationem sibi factam, eas confirmavit. Verba Gregorij IX sunt: *Totum, quod in eis continetur* (id est in Revelationibus S. Brigittæ) *& veritate conspicuum est, & sanctitate plenum, pellucidum, atq; perfectum.* Urbani vero VI: *Authenticas & veritate plenas & à DEI spiritu veraciter traditas &c:* Similiter eas approbavit Bonifacius IX, & Martinus V, ac Concilium Constantiense. Ipsaq; Ecclesia in Oratione, quæ in Missâ die S. Brigittæ legitur, sic DEUM orat: *Domine DEUS noster, qui Beatæ Brigittæ per Filium tuum Secreta Cælestia revelasti.* Unde plurimùm commendantur ab ipsismet Dominicanis, ut Cardinali Turrecremata, Vincentio Justiniano, Catharino, Medina alijsq;. In illis ergo Revelationibus cap. 49. lib. 6. pag. 470: B. Virgo sic inducitur loquens. *Veritas est, quòd Ego Concepta fuì sine peccato Originali: quia sicut Filius Meus & Ego nunquam peccavimus, ita nullum conjugium fuit, quod honestius esset, quàm illud, de quo processi.* Et lib. 5. cap. ultimo pag. 409. DEUS ait: *MARIA de peccatoribus nata est, licèt sine peccato Concepta.*

Præter triginta duas Revelationes, sunt aliæ multæ, inter quas insignis illa quæ facta est Beatæ Oringæ Christianæ: adducit eam Bolandus Tomo 1. Januarij 10. Item Venerabili Nicolao Patrensi, & Antonio Sobrino. Notatu item hic dignissimum, quòd Religiosissima Virgo Marina de Escobar, Ordinis Sanctimonialium S. Brigittæ in Hispania Fundatrix, vitæ Sanctimoniâ Orbi Christiano conspicua (obijt illa Anno 1633) scripsit ad Admodû Reverendum Provincialem Ordinis Prædicatorum, Epistolam, in qua inter alia hæc: *Veritas infallibilis est, B. Virginem, Dominam Nostram sine peccato Originali fuisse conceptam, & hoc à DEO ipso scio, qui Veritas infallibilis est.* ut habetur in lib. 4. Vitæ Ipsius, cap. 9. §. 1. Eademque Venerabilis Virgo pluribus è Familia Dominicana Magnis Viris, Sententiam piam persvasit, eamq;, quidam

ex

ex ijs, publicè etiam propugnarunt, ac ob hanc fortitudinem, singulari Corona à DEO donati sunt. ut refertur in lib. 4. Vitæ Ipsius cap. 31. Porrò, Vitam illius Virginis conscripsit Director Conscientiæ Ejus per Annos 30, Vir integerrimus R. P. Ludovicus de Ponte, cujus Sanctitatis odore beneficiisq; ab ipso impetratis permoti Catholicus Rex pluresq; Archi-Episcopi, Episcopi, Ecclesiarum Capitula, atq; integræ Hispaniæ Civitates, Sedi Apostolicæ sæpiùs supplicârunt, ut illum in Beatorum Album, ac dein etiam Sanctorum referret. Nota. Intuitu Marinæ de Escobar, imposita est lex Concionatoribus per Hispanias, ne sermonem ad populum incipiant, nisi prius laudem B. Virginis immaculatè Conceptæ pronuntient.

S. Catharinæ Senensi, an Piæ Sententiæ contrariū revelatum?

Neq; dicas Imo. S. Catharinæ Senensi à DEO revelatum est, B. Virginem fuisse in peccato Originali conceptam, ut refert S. Antoninus 1. p. Summæ Tit: 7. cap. 2. Majori autem fide videtur digna S. Catharina (ut addit Cajetanus Tractatu de Conceptione cap: 5.) quàm S. Brigitta, asserens oppositum sibi revelatum esse: Quia S. Catharina canonizata est sicut cœteri Sancti: Sancta verò Brigitta canonizata est à Bonifacio IX. tempore Schismatis, quo nullus habebatur certus & indubitatus Papa. Respondet Salmeron super Epist· ad Rom: 5. Disp: 52. Suarez tomo 2. in 3. p. Disp: 3. sect: 5. Vasquez Disp: 117. Lancicius Opusculo 11. cap: 13. & alij doctissimi & piissimi Theologi. Nulla ratione probari posse, revelationem ejusmodi verè factam S. Catharinæ: *sed hæc revelatio* (ut ait Magnus Suarez locô citatô) *tunc inventa videtur, quando necessaria visa est ad extenuandam authoritatem aliarum revelationum.* Si enim verè facta est, cur ergo nec Raymundus, Magister Ordinis Dominicanorum, & Confessarius prædictæ Sanctæ, ejusq; assiduus Comes, nec Stephanus Carthusiensis, nec Fr. Thomas Senensis, nec ullus alius ex antiquioribus, qui vitam Ejus scripsit, talis revelationis mentionem fecit, nec ipse S. Antoninus in Chronicis vitam conscribens ejusdem Sanctæ? Cur nullum vestigium ejusmodi revelationis apparet in Revelationibus S. Catharinæ impressis, Venetijs Anno 1504: ut testatur oculatus testis P. Lancicius: nec demum impressis Compluti, Anno 1512. jussû Francisci de Cysneros Archi-Episcopi Toletani?

Accedit. Quòd Pius 2dus, non omnes revelationes, quæ nomine

ne S. Catharinæ circumferuntur, recepit: verùm tantummodo à Raymundo scriptas, inter quas prædicta cùm non habeatur, non subsistit Objectio. Ad illud, quod dicitur: S. Antoninus refert illam revelationem. Respondet primarius in Academia Theologiæ Viennensi Professor, pòst Cæsareæ & Catholicæ Majestatis Concionator insignis, P. Pennalosa: Verisimile est Divum Antoninum prædictam revelationem in aliqua schedula reperisse, & eâ, incidenter suam opinionem, cui primò adhæserat, confirmâsse.

Neq; dicas 2dò. Quidquid sit de Veritate Revelationis, hoc tamen certum, quòd S Catharina Senensis, in Oratione 16. facta Romæ Anno 1377. dum esset in abstractione à Sensibus coram DEO Patre, dixerit hæc: *Datum est nobis Verbum æternum per manum MARIÆ, & de substantia Materna induit naturam absq; peccati Originalis macula, quia non hominis, sed Spiritûs S. gratiâ facta est illa Conceptio, quod quidem non fuit sic in MARIA, quia non processit ex massa Adæ, operatione Spiritûs S. sed hominis; & quia tota illa massa erat putrida, non potuit, nisi in putridam naturam anima illa infundi, sed post Conceptionem ejus statim fuit ab illo peccato Originali mundata &c.* Respondet Cardinalis Sfondrati cum plurimis, orationem prædictam non esse S. Catharinæ. Tum, quia certum est S. Catharinam non venisse Romam, nisi ab Urbano VI vocatam; hic verò electus non fuit nisi Anno 1378. Quomodo ergò S. Catharina Romæ orationem habuit Anno 1377. cùm Romæ non esset? Tum, quia nullum exemplum reperitur in Sacris literis aut alijs Ecclesiæ monumentis, DEUM, hominis jam vitâ functi peccata in particulari revelasse, cur ergò revelaret peccata Matris occulta soliq; DEO nota? nec Magdalenæ peccata in particulari, nec latronis vulgavit; & vulgaret delicta Matris? Tum, quia Petrus de Alva, signo 2. Radio 36. multis docet, hanc revelationem vel Orationis illa verba, conficta fuisse à Vincentio Blandello. Respondet 2do. P. Nierembergius Epist: 14. revelatio vel Oratio S. Catharinæ quamvis verissima & ex DEO fuisset, tunc locuta est eo sensu, quo multi Doctores loquebantur tempore ejusdem S. Catharinæ (imò & antea, & etiam Dominicani) de peccato Originali causaliter non formaliter contrahibili, non contracto, sive de debito ejus, non de contaminatione Actuali: DEUS enim se

accommodat modo loquendi communiter juxta tempora & Personas.

Nota contra Cajetanum. Bonifacius IX, licet tempore Schismatis, legitimè tamen electus fuit, Anno 1389. & verus fuit Pontifex. Martinus V, concordi suffragio in Generali Constantiensi Concilio Anno 1417. fuit Pontifex denuntiatus, & indubitatus. Uterque autem S. Brigittam, Sanctorum Catalogo adscripsit, ut constat ex Bulla Canonizationis, in qua Martinus V sub interminatione iræ DEI, & SS. Apostolorum Petri & Pauli, prohibet, ne quis prædicti Decreti Sententiam, infringere conetur. Unde utriusq; Sanctæ Canonizatio, æquè valida atq; certa est.

CAPUT V.

Ex pia Sententia non infertur ulla perniciosa sequela: Imò ex Propositione Quesnelli inferuntur rectè multa inconvenientia.

Ipsi Thomistæ Celebres admittunt, ex Sententia pia non sequi, B. Virginē à Christo non fuisse redemptam.

PRobatur, quoad primam partem. Quæro. Quænam perniciosa sequela infertur ex pia Sententia? An hæc? Quòd B. Virgo non indiguisset Redemptione Christi? Ast Falsitas sequelæ hujus, demonstrata est superius Capite 2do Thomistæq; ipsimet Celebres, illius sequelæ falsitatem non diffitentur. Durandus enim in 3. Dist. 3. q. 1. dicit: *Quòd etiam, si B. Virgo peccatum Originale non contraxisset, posset tamen verè dici Redempta à DEO pro eo, quòd in radice sua ex natura sua Conceptionis obligata erat ad incurrendum peccatum, nisi fuisset à DEO præservata.* Cajetanus in 1. 2. q. 81. art. 3. *Si* (inquit) *peccatum Originale vel in actu, vel in necessitate habendi illud quis non incurreret, non egeret Redemptione, quod Hæreticum esset dicere: sed si omnes obnoxij sunt peccato Originali, sufficit ad indigentiam Redemptionis. Neq; enim solùm redemptione eget, actualiter captivus, sed etiam obnoxius captivitati. Et hæc bene notabis tu Thomista, ne nimiô zelô non secundùm scientiam accensus, erronea dicas, quæ erronea non sunt, cùm de Beatissima Virginis Conceptione disputas, aut prædicas.* Medina quoque in 1. 2. q. 81. art. 3. ait: *Illud observandum, quòd etiam siquis concedat aliquem hominem ab Adam descendentem, ex Privilegio peccatum Originale non contrahere, fateri necesse est, Christum esse omnium Redemptorem.*

ptorem: Non enim solùm redimit, qui datis pecunijs eripit aliquem à vinculis: sed etiam, qui datis pecunijs, est causa, ne in carcerem detrudatur.

Non etiam ex pia Sententia sequitur, alios Sanctos esse Conceptos sine peccato Originali. Non sequitur inquam. Quia pro solius DEIparæ Immaculata Conceptione sunt talia fundamenta, quæ pro nullius alterius Sancti illibato Conceptu militant: Ut patet reflectenti. Unde de fide est, vel saltem Fidei proximum: Omnes, exceptâ DEIparâ, seminaliter ex Adamo descendentes, in sua animatione, Originalî peccatô infici: siquidem Scriptura, Concilia, & Patres, universaliter docent omnes peccasse in Adamo, & ex illo contraxisse peccatum unicuiq; proprium: nec est ullum fundamentum solidum, quemquam, exceptâ DEIparâ, eximendi à lege omnibus communi: etsi aliqui fuerint Sanctificati in utero ante Nativitatem: ut Jeremias & Joannes Baptista. Quamquam S. Ildephonsus, S. Hieronymus, S. Augustinus Abulensis, id de Jeremia negant, ut citat P. Vasquez Tomo 2. in 3. partem Divi Thomæ Disp: 114. cap. 3. ipseq; Vasquez censet solùm, probabiliorem esse Sententiam, quòd in utero fuit Sanctificatus. Verba autem illa Scripturæ: *Antequam exires de vulva, Sanctificavi te,* Explicat de Sanctificatione latiùs sumpta: vel ita, ut in Typo & Figura Christi, de Jeremia illud dictum fuerit: vel ita, ut ad æternam prædestinationem (uti sentit S. Hieronymus) referatur; prout & illud ad Galatas imo: *Cum placuit ei, qui me segregavit ex utero.*

Nec sequitur ex Sententia pia, alios quoq; Sanctos esse conceptos sine labe Originali.

Non sequitur item per hoc, aliquid derogari Dignitati Christi Domini: ut patet sufficienter inter alia ex capite 10. Quàm verò perniciosæ sequelæ, quàm gravia per rectam consequentiam inferantur Inconvenientia ex Propositione Quesnelli, plurimis prætermissis, aliqua saltem recensere placet.

Nec quidquam derogatur dignitati Christi.

Primò enim infertur grande inconveniens, nempe: Quòd Ecclesia Universalis Orthodoxa, Columna Veritatis, quæ speciali Spiritûs Sancti assistentiâ sibi â Christo Domino appromissâ, dirigitur, quòd inquam sanctitati enormiter falsæ, utpote, quæ (juxta Quesnellú) opponitur veritati Scripturarum, & ex qua infertur perniciosa sequela, exhibeat cultum publicum Sacrificij & Officij Canonici. Nam Ecclesia exhibet hunc cultum Sanctitati Conceptionis B. Virginis in imo

Ex Quesnelli Propositione, quanta inconvenientia.

rectè inferuntur? imo instanti sui esse, ut irrefragabiliter & evidenter constat ex Bulla Alexandri VII, declarantis Festum Conceptionis celebrari juxta piam Sententiam: Inter alia enim dicit hæc: *Nos considerantes, quòd Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semperq; Virginis MARIÆ Conceptione Festum solenniter celebrat, & speciale ac proprium super hoc Officium olim ordinavit, juxta piam, devotam, & laudabilem Institutionem, quæ à Sixto IV. Prædecessore Nostro tunc emanavit: volentesq; laudabili huic pietati & devotioni & Festo ac Cultui, secundùm illam exhibito in Ecclesia Romana, post istius Cultus Institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum exemplo favere, nec non tueri Pietatem & devotionem hanc, colendi & celebrandi Beatissimam Virginem, præveniente scilicet Spiritûs Sancti Gratiâ, à peccato Originali præservatam - Constitutiones & Decreta à Romanis Pontificibus, Prædecessoribus Nostris, præcipuè à Sixto IV, Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem Sententiæ asserentis, Animam Beatæ MARIÆ Virginis in sui Creatione & in Corpus infusione, Spiritûs Sancti Gratiâ donatam, & à peccato Originali præservatam fuisse: nec non in favorem Festi & cultûs Conceptionis ejusdem Virginis DEIparæ secundùm piam istam Sententiam, ut præfertur exhibiti, innovamus, & sub censuris & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis, observari mandamus.* Quid clarius dici poterat?

Hinc patet, Festum Conceptionis celebrari non propter Sanctitatem, quæ fuit post Conceptionem: nec tantummodo in gratiarum actionem Conceptionis Naturalis, quæ fuit initium nostræ reparationis; sed celebrari Festum de ipsa sanctitate Conceptionis, seu quia Sancta Immaculata in imo instanti fuit DEIpara.

Cardinalis Bellarmini Sententia de festo Conceptionis, explicatur Fateor Bellarminum lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 16. scripsisse hæc: *Fundamentum hujus Festi præcipuum, dico non esse Conceptionem Immaculatam, sed simpliciter Conceptionem Matris DEI futuræ, qualiscunq; enim fuerit illa Conceptio, eo ipso, quòd Conceptio fuit Matris DEI, singulare gaudium affert Mundo Ejus Memoria.* Verùm hæc scripsit longè ante prædictam Bullam: Bellarminus enim obiit Anno 1621: Anno verò 1661, edita fuit illa Bulla Alexandri VII, in qua evidenter declaratur contrarium: cui declarationi, haud dubiè firmiter assensus fuisset, si tunc vixisset. Quanquam P. Eusebius Nierembergius in Tractatu de perpetuo Objecto Festi Conceptionis cap: 31. cum pluribus alijs asse-

asserit & probat, illa scripsisse Bellarminum non ex propria Sententia, ast ex aliena, nempe eorum, qui non assentiuntur, DEIparam esse sine labe Conceptam: in citato siquidem loco, Bellarminus dicit: *Quia major Ecclesiæ pars piè credit Immaculatam Conceptionem, inde habuit eadem Ecclesia occasionem instituendi hoc Festum.* Lib: item 4to de Amissione Gratiæ & Statu peccati cap. 15. ait: *Totus orbis Christianus celebrat diem festum Conceptionis Virginis MARIÆ, eamq; Conceptionem Immaculatam vocat.*

Adverte hic. Dato, non concesso, quòd Ecclesia Græca antiquitus instituerit Festum Conceptionis S. Joannis Baptistæ: tamen certum est, ab Ecclesia Græca non institutum esse ex eo, quòd censuerit vel censeat, fuisse S. Baptistam sine peccato Originali conceptum: hoc enim est manifestus Error; sed tantùm institutum est in Gratiarum Actionem pro Conceptione ejus miraculosa: ideoq; nullibi nominatur Conceptio ejus Sancta, Immaculata. Econtra constat ex Bullis Pontificum, præsertim Alexandri VII, Festum Conceptionis institutum à Romana Ecclesia (quæ in cultu exhibito Sanctis, à vero deviare nequit) institutum inquam ob Sanctitatem, quam B. Virgo habuit in primo instanti suæ Conceptionis, vocariq; tam à Græca, quàm à Latina Ecclesia, Conceptionem B. Virginis, Sanctam, Immaculatam: non minùs, quàm vocatur Nativitas B. Virginis, Sancta.

An & quare instituit Ecclesia Græca Festum Conceptionis S. Joannis Baptistæ?

2do: Grande inconveniens infertur, Summos Pontifices decrevisse, opinionem illam, quæ est falsa & contraria Scripturæ Sacræ, ut dicitur à Quesnello, esse piam & laudabilem Sententiam: ab universaq; Ecclesia appellari *Sanctam & Dignissimam* Conceptionem, inquinatam peccatô gravi Originali.

Accedit 1mò. Quòd Leo X, Anno 1518 in Bulla: *Pia Christi fidelium.* Sixtus V, in Bulla: *Ineffabilia* Anno 1588. Paulus V, in Brevi ad Philippum III, Anno 1617: vocent Conceptionem, *Immaculatam, Purissimam.*

Accedit 2dò. Quòd Sixtus IV. Officium de Immaculata Conceptione compositum tum à Leonardo de Nogarolis, tum à Bernardino de Bustis, approbaverit, in quibus Officijs, variæ Historiæ, Sermones, miracula referuntur, approbativa Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis. Et anno 1476 in Extravag: *Cum praexcelsa* loqui-

quitur sic: *Statuimus & ordinamus, quòd singuli Christi Fideles, qui Missam & Officium Conceptionis Virginis Gloriosæ, juxta piam & devotam Ordinationem Leonardi de Nogarolis, & quæ desuper à nobis emanavit, Missæ & Officij hujusmodi Institutionem in die Festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis, & per Octavas Ejus, devotè celebraverint, Indulgentiam & remissionem peccatorum consequantur.* Et in Bulla sua Extravagante: *Grave nimis*, quæ exstat in Jure Canonico & est confirmata per Tridentinum Sess. 5, definivit: Sententiam Nostram piam non esse Hæreticam. Ergo definivit (proinde certum esse debet apud Orthodoxos) Sententiam non esse oppositam Veritati scripturarum, & ex ea inferri perniciosam sequelam.

Summi Pontifices quantùm faverunt Piæ Sententiæ?

Accedit 3tiò. Quòd Innocentius VIII, Constitutiones Monialium Immaculatæ Conceptionis, in quarum vovendi forma, asseritur Immaculata Conceptio, confirmavit; ijsdemq; Monialibus Regulam præscripsit Julius II. Anno 1511. ubi disertè pia Sententia docetur. Leo X. Ecclesias B. MARIÆ in Campo Sancto, S. MARIÆ de Populo, de Monte, de Ara Cæli, SS. Apostolorum S. Francisci trans Tyberim, S. Laurentij in Damaso, Jubilæo donavit in Festo Conceptionis. Adrianus VI Anno 1522. confirmavit Congregationem Toletanam, in Honorem Immaculatæ Conceptionis erectam. Clemens VII. Officium Immaculatæ Conceptionis approbavit. Paulus III stabilivit omnia Privilegia Religionis Immaculatæ Conceptionis. S. Pius V. confirmavit Extravagantes Sixti IV, & Officium Immaculatæ Conceptionis reduxit in eam Formam, quæ modò in Ecclesia observatur; ubi etiam Conceptio appellatur *dignissima & Sancta.* Clemens VIII. approbavit Sixti IV, & S. Pij V. Constitutiones de Immaculata Conceptione. Paulus V, auditis validis rationibus Cardinalis Bellarmini pro pia Sententia, minùs piam, publicè prædicari vel defendi vetuit. Et Anno 1616, centum Indulgentiæ dies concessit recitantibus à Sixto IV. compositam collectam hanc: *DEUS, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio suo habitaculum præparasti: quæsumus, ut sicut ex morte Filij ejusdem sui prævisa, Eam ab omni labe præservasti, ita nos quoq; mundos, Ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem &c:* Insuper Gregorius XV. precibus Christianorum Principum præcipuè Philippi IV,

IV, Regis Catholici, magnum aliquid tribuendum esse ratus, Decretum illud edidit Anno 1622. 24. Maji, quô vix aliquid potuit citra definitionem favorabilius excogitari, in quo statuit, ne Sectatores contrariæ Sententiæ, in sermonibus etiam & scriptis privatis audeant asserere, quòd B. Virgo fuerit Concepta cum peccato Originali, eosdemq; obligat, ut sub Conceptionis Nomine Festum Celebrent, ablegatâ voce Sanctificationis.

Porro Sententiæ illi, quæ repugnat Scripturæ Sacræ, & ex qua infertur perniciosa sequela, favisse tantopere, & tot Summos Pontifices Ecclesiæ Capita, & Doctores in definiendis rebus Fidei infallibiles, quis Orthodoxorum credat!

3tiò. Grave inconveniens infertur ex Propositione Quesnelli: videlicet, Quesnellum cum paucis suis sequacibus, longè oculatiorem fuisse, cernendo Sententiam piam opponi Scripturæ, inferriq; ex ea perniciosam sequelam, oculatiorem inquam, quàm Sacrum Concilium Tridentinum, quòd sat patenter docuit, dictam Propositionem Quesnelli esse erroneam, quàm tot Summos Pontifices, quàm ferè omnes Ecclesiasticos Scriptores, Episcopos; omnes Religiosas Familias, unâ exceptâ, quæ tamen nec in hoc passu consentit Quesnello: quàm omnes Universitates, Academias doctissimas, in quarum plerisq; etiam ad Gradum Doctoratûs nullus admittitur, nisi priùs Juramentô se obstrinxerit, ad defendendum illibatum Conceptum B. Virginis: & tales Academiæ præter alias, sunt, Parisiensis Valentina, Coloniensis, Moguntina, Viennensis, Pragensis &c: quàm demum ferè omnes Catholicos, siquidem ut loquitur Alexander VII. in sua Bulla: *Accedentibus plerisq; celebrioribus Academijs jam ferè omnes Catholici amplectuntur hanc Sententiam piam.* Quin pro eadem Sententia ex ipso Ordine Prædicatorum recensentur plurimi Viri Gravissimi, & doctissimi. quin & omnes, qui ex hoc Sacro Ordine, ritè in Sanctorum Catalogum relati sunt, ut infra fusè deduxi cap. 9no in Quæsito tertio.

4tò. Grave inconveniens, nempe: Non esse à Bonitate & sapientissima Providentia DEI alienum, ut DEI Ecclesia, cui Christus specialem ad vitandas falsitates, & damnandas, assistentiam addixit, tam universalem fere omnium Catholicorum Errorem permitteret, tantamq;

tamq; tot Ecclesiasticorum, tot Religiosorum, tot Doctorum, ac Virorum, Sanctitate ac Miraculis illustrium conspirationem, ad tuendam tam acerrimè in Mysterio Religionis Opinionem falsam, Scripturæ contrariam, & ex qua infertur sequela perniciosa.

5tum Grande inconveniens, Miracula vera facta esse à DEO in confirmationem erroris: revelatumque divinitus, ut verum, quod à veritate deviat. Vide suprà Caput 4tum.

CAPUT VI.

VEritas Sententiæ piæ, probatur Argumentis ex Sanctis, Augustino, Thoma, Ildephonso, Bernardo, Bonaventura, desumptis.

Sententiæ piæ veritas probatur Argumentis desumptis ex S. Augustino.

DIvus Augustinus lib: 5to contra Julianum cap. 19. & cap. 15. statuit Principium hoc: Is, qui in adulta ætate peccatum nullum fecit, in infantili ætate peccatum non contraxit: Et ideò Christus profectò peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset. Subsumo. Sed B. Virgo ab omni peccato actuali etiam veniali semper immunis fuit, ut docet idem S. Doctor lib: de Natura & Gratia cap. 36: estq; id indubitatum apud Catholicos (etsi olim minùs sapienter Gregorius Ariminensis in 2. Sentent. distinct: 31. senserit, B. Virginem habuisse aliquando veniale peccatum actuale) cùm sit hæc constans Ecclesiæ firmaq; traditio & Sententia. Unde dicit Concilium Tridentinum Sess. 6. Canone 23: *Si quis hominem semel justificatum dixerit, ampliùs peccare non posse, neq; Gratiam amittere, atq; ideo eum, qui labitur & peccat, nunquam verè fuisse justificatum: aut contra, posse in tota vita, peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali DEI Privilegio, quemadmodum de Beata Virgine MARIA tenet Ecclesia, Anathema sit.* Ergo B. Virgo fuit immunis à labe peccati Originalis.

Idem S. Doctor Tomo 9: sermone de Assumptione B. MARIÆ Virginis, (quem sermonem ipse S. Thomas 3. par: q. 30. art: 2do ad 2. & alibi, cum pluribus tribuit S. Augustino) dicit: *Istud sacratissimum Corpus, de quo Christus carnem assumpsit, escam vermibus traditum in communi sorde putredinis, & futurum de vermibus pulverem, quia sentire*

non

non valeo, dicere pertimesco. Quænam causa hujus pertimescentiæ Sancte Augustine? Respondet ipsemet: Quia *non immeritò excipitur, quam tanta servat Gratia, & attollit dignitatis prærogativa.* Quia *si voluit integram Matrem, Virginitatis servare pudore: cur non velit incorruptam à putredinis servare fœtore?* Quia *numquid non pertinet ad Benignitatem Domini, Matris servare Honorem, qui legem non solvere venerat, sed adimplere?* Quia, *qui in vita præ cæteris Illam gratiâ sui Conceptûs honoravit, pium est credere, singulari salvatione Eam in morte & speciali gratia honorâsse.* Quia *putredo & vermis humanæ est opprobrium conditionis.* Porrò Rationibus his validiùs propugnari illibatum Conceptum Virginis, quis non cernit? nonnè enim incomparabiliter gravius malum est peccatum Originale, majusq; opprobrium Conditionis humanæ, quàm Corporis humani in cinerem conversio?

Demum, si quæras ex S. Augustino, quibusnam Argumentis & motivis tantus Vir incredibili prudentiâ ad judicandum præditus, inductus est, ut relictô Manichæismô Religionem Catholicam, multa licèt summè ardua ad credendum continentem amplecteretur? Respondet ipsemet in libro contra Epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti cap: 4to: *Multa sunt, quæ in Ecclesiæ Catholicæ gremio, me justissimè tenent; tenet consessio populorum, atq; Gentium; tenet Auctoritas Miraculis inchoata: tenet Auctoritas Sedis Apostolicæ, cui pascendas Oves suas Dominus commendavit.* Nonnè pro illibato etiam Conceptu Virginis, militat Consensus populorum & Gentium? omnium ferè Doctissimorum & Universitatum in Orbe Orthodoxo? Nonnè idem comprobat multitudo Miraculorum, quorum suprà aliquâ innui Capite 4to. Tot item Bullæ & Diplomata Summorum Pontificum? & quid, oro, difficultatis est in assentiendo piæ Sententiæ, asserenti Dilectissimam DEI Matrem à Filio præservatam, ne unquam Dæmonis fieret mancipium?

Item desumpti ex S. Thoma Doctore Angelico.

Doctor Angelicus 3 parte q. 27. art: 4. probat, nullum peccatum Actuale, etiam veniale fuisse in B. Virgine. Rationes ejus sunt istæ: Quia (inquit ille) Virgo non fuisset idonea Mater DEI, si peccâsset aliquando. Tum, quia Honor Parentum redundat in prolem, juxta illud Prover: 17. *Gloria Filiorum, Patres eorum:* Unde & per oppositum, ignominia Matris ad Filium redundâsset. Tum, quia sin-

singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea Carnem accepit: dicitur autem 2. ad Corinth: 6. *Quæ conventio Christi ad Belial?* Tum etiam, quia singulari modo, DEI Filius in ipsa habitavit. Et ideo simpliciter fatendum est, quòd B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cantic: 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in Te.* Hucusq; S. Doctor. Sed hæ allatæ eædem Rationes multò magis evincunt, non fuisse in B. Virgine peccatum Originale; quia aliàs non fuisset idonea Mater DEI. Tum, quia magis redundat dedecus in Filium ex peccato Originali, quàm ex actuali: peccatum enim actuale non est ex se natum à Parentibus transfundi in filium, secundùm illud Ezechielis 15. *Filius non portabit iniquitatem Patris sui*, peccatum verò Originale ad hanc transfusionem est ex se natum. Tum, quia peccatum Originale multò fortiùs Maternam cum Filio Unitatem sustulisset, utpote mortale: quàm veniale actuale. Tum, quia pejor longè est macula peccati Originalis, quàm Venialis: imò S. Thomas 1. 2. q. 89. art: 1. in Corpore ait: *Propriè loquendo, peccatum veniale non causat maculam in Anima.* Ergo si propter Rationes superiùs recensitas, ex mente S. Thomæ non fuit ullum peccatum Veniale, multò magis non fuit Originale in B. Virgine.

Nec non desumptis ex SS. Ildephonso, Bernardo Bonaventura.

Sancti, Ildephonsus, Bernardus, Bonaventura ex eo probant, B. Virginem fuisse Sanctam in sua Nativitate, quia Ecclesia Romana celebrat Festum ejus Nativitatis. S. enim Ildephonsus in Tractatu de Parturitione & Virginitate DEIparæ ait: *Quia B. Virginis Nativitas solenniter colitur, constat ex Auctoritate Ecclesiæ, quòd nullis, quando nata est, subjacuit delictis.*

S. Bernardus in Epistola 174. *Quia Ortum Virginis didici in Ecclesia & ab Ecclesia indubitanter haberi festivum atq; Sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentio, in utero Eam accepisse, ut Sancta prodiret. Fuit proculdubio & Mater Domini ante Sancta, quàm nata: nec fallitur omnino Sancta Ecclesia, Sanctum reputans ejus Nativitatis diem, & omni Anno cum exultatione universæ Terræ votiva celebritate suscipiens.*

S. Thomas 3. parte q. 27. art: 1. *Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis, non autem celebratur Festum nisi pro aliquo Sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit Sancta.*

S. Bo-

S. Bonaventura in 3. dist. 3. q. 1. art. 3. *Pro indubitato habet hoc Ecclesia*, (quòd nempe B. Virgo fuerit in utero Sanctificata) *& illud ex hoc patet: quòd Ejus Nativitatem tota Ecclesia celebrat: quod non faceret, nisi Sancta esset.* Et in 3. dist. 3. q. 1. art: 1. sub dubio 3. ad 4tum. *Statuta Universalis Ecclesiæ de Sanctorum Celebritatibus, omnia fundata sunt supra Sanctitatem, ut nullo die pro aliquo Sancto solennizetur, in quo, vel pro quo Sancta non fuerit, cui honor ille defertur.* Hocq; ipsum omnes à S. Augustino desumpsisse videntur, qui Sermone 113. de S. Cypriano & Sermone 95. de diversis, tanquam certum supponit, non celebrari Festum ab Ecclesia nisi ratione Sanctitatis in ipso Mysterio vel Festo cui solennitas ipsa consecratur. Ergo siquidem ut patet ex superiùs dictis, Ecclesia Universalis celebrat, Festum Immaculatæ Conceptionis in primo instanti Animationis, rectè inde infertur, DEIparam esse Immaculatè Conceptam: seu quod idem, fuisse Animam Ejus in sui Creatione & in Corpus infusione, Spiritûs Sancti gratiâ donatam, & à labe Originali præservatam.

CAPUT VII.

VEritas Piæ Sententiæ & oppositæ Quesnellianæ Propositionis falsitas probatur insuper multifarijs Rationibus.

1. ARgumentô subtilis Doctoris Scoti; Potuit DEUS præservare Matrem suam à labe Originali. Quæ enim in hoc implicantia? & decuit, ut id faceret. Decuit enim, ut Mater DEI non fuerit unquam rea æternæ damnationis: nec unquam posita in eo statu, in quo Dæmon in illam haberet jus, & potestatem, tanquam in suum mancipium. Decuit item, ut DEI Filius Matri suæ, quam maximè diligebat, id beneficium præstiterit. Ergo tenendum est, id præstitisse. Utiq; & Divus Thomas in 3 dist. 3. q. 1. art: 1. admittit ut veram Propositionem hanc: *Credendum est, Beatissimæ Virgini collatum esse, quidquid conferri potuit.* *Rationibus decem comprobatur Veritas Piæ Sententiæ*

2dò. Ubi non dantur effectus peccati Originalis, ibi nec ipsum peccatum Originale datur. Sed in B. Virgine non dantur effectus peccati Originalis: nempe, inclinatio ad malum, seu fomes peccati &

& concupiſcentia: pugna Naturæ inferioris cum ſuperiori: Peccatum Veniale. Non fuerunt item in illa dolores partûs, ſordes puerperij, Corporis corruptio. Ergo nec peccatum Originale. Mortua quidem eſt B. Virgo. Aſt mors hæc non fuit pœna peccati Originalis, verùm imitatio Mortis Chriſti.

3tiò. Propter dignitatem Maternitatis. Mater DEI debuit eſſe Virgo Corpore, ſine corruptione conjugali, ſine motibus concupiſcentiæ, ſine labe Veniali. Ut conceditur. Ergò multò magis propter eandem Maternitatem, debuit eſſe Virgo mente, ſine labe Originali, quæ Virginitatem mentis corrumpit, majusq; eſt malum, quàm corruptio conjugalis, quàm motus concupiſcentiæ. Ut per ſe clarum: Majus item malum, quàm culpa venialis: hæc enim non tollit gratiam nec ſupernaturalem Imaginem DEI in anima delet: ut docet S. Thomas multis in locis: nec reddit hominem odibilem DEO, & vitâ, æternâq; hæreditate indignum. Peccatum verò Originale tollit pulchritudinem, & Imaginem ſupernaturalem, quæ in gratia ſanctificante conſiſtit: facit animam DEO exoſam, & indignam vitâ æternâ; ideoq; Spiritus Sanctus in Scriptura, labe Originali inquinatos vocat, *Filios iræ, maſſam damnatam, vaſa contumeliæ.*

4tò. Nullum unquam Privilegium & donum conceſſum eſt alicui puræ creaturæ, quod non ſit etiam concedendum Matri DEI: niſi fortè conditioni, Statui, Naturæ, aut ſexui repugnaret. Ut conceditur ab omnibus: præſertim, ſi tale Privilegium concernat puritatem. Nam *DEIparæ Puritas maxima eſt ſub Chriſto DEO:* ut dicit S. Thomas 3. par: q. 27. art: 2. ad 2. Sed Angelis, & primis Parentibus conceſſum eſt hoc donum, quòd ſint creati in ſtatu gratiæ ſanctificantis. Ergo multò magis Reginæ Angelorum eſt hoc conceſſum. Quare S. Anſelmus ſermone de Conceptione, qui etiam continetur in Officiis approbatis à Sixto IV: & alijs Pontificibus ait: *DEUS Angelos, alijs peccantibus à peccato ſervavit, & Fœminam Matrem ſuam futuram ab aliorum peccatis exſortem ſervare non potuit? in æternitate Conſilij Sui ſtatuit Eam Dominatricem & Reginam fieri Angelorum, & tunc Angelis inferiorem gratiam datam, in conſortium Conceptam eſſe crederemus hominum peccatorum? Exiſtimet hoc, qui vult: Argumentis ſuis probet, qui vult: his, quæ dicimus, adverſetur, qui vult: Ego donec oſtendat DEUS mihi, aliquid digni-*

dignius excellentiâ Dominæ meæ posse dici, quæ dixi, dico: quæ scripsi, non muto.

5tò. *Illos, quos DEUS eligit, ita præparat & disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei.* Ut loquitur S. Thomas 3. par: q. 27. art: 4. probatq; id ipsum ex S. Paulo 2. ad Corinth: 3. *Idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti.* Sed dignitas Maternitatis DEI incomparabiliter excedit dignitatem omnium Angelorum. Unde S. Anselmus de Excellen: Virg: cap. 2: *Hoc* (inquit) *solùm de Beatissima prædicari, quòd sit Mater DEI, excedit omnem Altitudinem, quæ post DEUM dici vel cogitari potest.* Ergo siquidem Angeli fuerunt creati in statu gratiæ, multò convenientius fuerat, ut sic etiam crearetur Anima DEI Matris.

6tò. B. Virgo omnes homines, utì cœteris Virtutibus, sic præsertim humilitate superabat. Ergo cùm se nusquam peccatricem dicat, ne quidem in suo Cantico, ubi exponit suam indignitatem: *Respexit humilitatem Ancillæ suæ*; apparet, immunem semper Eam fuisse ab omni labe. Maximè cùm certum sit, in illis verbis, B. Virginem exercuisse Actum perfectissimæ humilitatis: major autem est humilitas, confiteri indignitatem moralem, qualis est ortus ex labe originali, quàm confiteri, se esse creaturam & Ancillam DEI.

7mo. Primus homo ex terra, eaq; nondum maledicta, ab ipso DEO conditus fuit: non ex concubitu maris & fœminæ generatus. Ergo etiam Christus Dominus, qui similiter non ex concubitu maris & fœminæ, sed operâ Spiritûs Sancti formandus erat, ex terra non maledicta, id est, ex Matre Virgine, quæ omnis maledictionis, proinde & omnis noxæ etiam Originalis expers, formatus est. Hac puritate usus est etiam S. Andreas, utì visum suprà: item S. Dominicus, ut habetur in quibusdam Exemplaribus ejus vitæ.

8vò. Gratia sanctificans, seu Filiatio DEI adoptiva, est incompossibilis cum peccato quovis gravi. Ergo multò magis Maternitas DEI, etiam cum Originali. Utiq; enim Mater vera & physica plùs diligitur, quàm Filius solùm adoptivus? Proinde Maternitas vera Physica naturalis, longè æstimabilior est, quàm Filiatio DEI adoptiva: sicut præstantius est, esse Matrem Naturalem Regis, quàm esse Filium adoptivum Regis.

9no. Redemptio præservativa est multò perfectior Redemptione curativa: ut patet. A pluribus enim malis liberatur, qui non permittitur peccare: Nam liberatur à culpa Actuali, à pudore, & ab irreparabili jactura perfectæ innocentiæ: à quibus non liberatur, cui post lapsum culpa remittitur: quia semel admissô peccatô, semper verum est dicere: peccavit, innocentiam perfectam non habet: habet materiam pudoris. Ergo Christus Dominus utpote perfectissimus Redemptor, circa aliquam Creaturam exercuit Redemptionem illam præservativam. Quam verò hac excellenti Redemptione à peccato liberaret, si non Matrem Suam?

10mò. *DEUS plùs dilexit B. Virginem, quàm omnes Creaturas*, ut docet S. Thomas in 1. dist: 17. q. 2. art: 4. Et ex sensu communi Theologorum asserit Magnus Suarez Tomo 2. 3. par. disp. 18: *DEUS plùs amat solam B. Virginem, quàm reliquos omnes Sanctos.* Ergo Eam DEUS ab omni peccato præservavit. Nos, qui diligimus B. Virginem, utiq; si in nostra potestate fuisset, præservassemus Eam à lapsu Originali: & negabimus id Matri suæ dilectissimæ præstitisse DEUM, qui dedit præceptum de honorandis & amandis Parentibus? Utiq; ille Filius esset reprehensibilis, qui videret Suam Matrem in captivitatem esse abducendam, & non impediret, cùm posset: nec in ejusmodi Filio esset amor efficax intensus: is enim ex natura sua est impeditivus omnis gravis mali ab objecto amato.

Demum Alijs prætermissis Rationibus, mihi plurimùm convictiva videtur esse hæc: In causis, præsertim criminalibus, nulla Persona (multò minùs constituta in eminenti aliqua dignitate) est condemnanda, nisi ex probationibus luce meridiana clarioribus planè convincatur. Ut docent omnes Juris Consulti: & habetur l. 5. ff. de pœnis, & alibi. Sed nulla affertur probatio luce Meridiana clarior, quâ convincatur B. Virgo, eminentissimæ dignitatis, quia DEI Mater, crimen mortale Originale incurrisse: imò sunt argumenta validissima pro ipsius innocentia: ut evidens est legenti hunc Tractatum. Non ergo damnanda est criminis mortalis Originalis. Accusatore non probante, reus, etiam vilissimus absolvitur: & Mater DEI cur innocens non pronuntiatur, siquidem Accusator inprobando deficit? Ast per impossibile, concedamus, æquè validas esse rationes

contra & pro innocentia Virginis. Tamen, cùm certum ſit, ut docent omnes Theologi cum Divo Thoma 2. 2. q. 70. art. 2. *In dubio, Judex facilior eſſe debet ad abſolvendum, quàm condemnandum.* Nonne juſtitiæ & pietati conſonat, ut Mater DEI & omnium noſtrûm, cum de Originali culpa certò non conſtet, à nobis abſolvatur, non condemnetur?

CAPUT VIII.

ANgelici Doctoris S. Thomæ Auctoritas an rectè allegari poſſit ad defendendam ſupradictam Propoſitionem Quesnelli hanc: Sententia, quæ tenet DEIparam eſſe Immaculatè Conceptam, Opinio eſt nova, & contraria Veritati Scripturarum, ex eaq; infertur perniciosa ſequela.

Reſpondeo Negativè.

PRobatur imò Reſponſio. Quia S. Thomas pluribus in locis expreſſè docuit, Innocentiam B. Virginis non eſſe Originali peccatô defloratam. Ergo non cenſuit, Sententiam piam eſſe contrariam veritati Scripturarum, ex eaq; inferri perniciosam ſequelam. Conſequentia per ſe evidens, Antecedens Probatur. Imûs locus clariſſimus habetur in imo Sentent: diſt: 44. q. 1. art: 3. ad 3tium. Ubi poſtquam propoſuiſſet art: 1. An DEUS poſſit aliquid melius facere, quàm fecit: Deſcendit poſtea in particulari quæſt: 3. Quærendo: an DEUS potuerit facere Humanitatem Chriſti meliorem, quàm ſit: & in 3tio argumento dicit: *Videtur, quòd & Beatiſſima Virgine nihil melius poſſit facere DEUS: quia hæc ſecundùm S. Anſelmum debuit eâ Puritate nitere, quâ ſub DEO major non poteſt intelligi.* Ad hoc Argumentum reſpondet S. Doctor his formalibus: *Puritas intenditur per receſſum à contrario: & ideo poteſt aliquid creatum inveniri, quo nihil purius poteſt eſſe in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit Puritas Beatiſſimæ Virginis, quæ à peccato Originali, & actuali, immunis fuit: fuit tamen ſub DEO, quatenus erat in Ea potentia ad peccandum.* Quid evidentius dici poterat pro illibato Conceptu Virginis? Unde Illuſtriſſimus Pater Magiſter Gaſpar Catalan de Mon-

S. Thomã docuiſſe piam Sententiam, Probatur ex ejus libris.

Monzonis, Ordinis Prædicatorum, electus Episcopus Ilerdensis in Epistola sua, ad Michaëlem de Lanuza, Equitem Ordinis S. Jacobi à Consilijs Regis Catholici, ejusq; in Regno Aragoniæ Protonotarium, Anno 1651. 5. Septembris: scribit hæc: Me percunctatur Tua , Dominatio, an S. Thomas in aliqua parte sui Operis docuit B. Vir- , ginem fuisse præservatam à peccato Originali. Respondeo quòd sic: , ac primo in lib. imo Sentent: dist: 44: -- (citatisq; Textibus S. , Thomæ supra relatis, addit) Talis fuit solutio Doctoris Angelici, , in qua expressè ac evidenter affirmat, B. Virginem fuisse præserva- , tam à peccato Originali his verbis: *A peccato Originali & actuali* , *immunis fuit*, nam vox *Immunis*, illam fuisse exemptam ac præser- , vatam ex speciali Privilegio significat: Porrò, quemadmodum Di- , vus Thomas per illud: *Immunis à peccato actuali*, denotavit, quòd , DEUS sic B. Virginem à peccato actuali, tam mortali, quàm venia- , li, ex peculiari Privilegio præservavit, ut nec per unicum temporis , momentum, ejus labem admiserit: ita æque minùs dubitandum est, , S. Doctorem per illa verba: *Immunis fuit à peccato Originali*, etiam , affirmâsse, DEI Genitricem nec per unum instans, maculæ origi- , nalis sordem agnovisse ob Specialem DEI manutenentiam ac præ- , rogativam, quâ ab eadem fuit præservata; alioqui Angelicus Do- , ctor, non loqueretur prudenter, aut tanquam Theologus, utendo in , una ac eadem Propositione Verbo *immunis* cum tanta æquivocati- , one ac varietate significationum: nec meritò dixisset, DEUM præ- , servasse aut exemisse dilectissimam suam Matrem à macula origi- , nali, sed tantùm extersisse jam contractam. Hucusq; ille.

Bergomensis quidem in *Aurea* sua *Tabula* respondet; S. Thomam, solùm voluisse, quòd B. Virgo peccatô Originali caruerit, etsi illud antea contraxit. Verùm Responsio hæc non satisfacit. Tum, quia puritas B. Virginis non fuisset tanta, ut major in creatis esse nequeat: posset enim esse major, si nunquam peccâsset. Tum, quia aliàs puritas B. Virginis non esset major, quàm sit puritas infantium, etiam Hæreticorum baptizatorum, qui post baptismum statim moriuntur: quæ omnia repugnant S. Thomæ menti expressæ in illo Articulo & alibi. S. enim Doctor in 1. lib. Sentent. dist: 17. q. 2. art: 4. dicit: *In B. Virgine fuit depuratio ab omni peccato; ideo pervenit ad summum puritatis sub*

DEO. Et Opusculo 61. postquam asseruit DEUM effecisse Angelos, *speculum puritatis immaculatum, incoinquinatum, incontaminatum*; addit: quòd ad demonstrandam magis suam infinitam potentiam fecerit *speculum tersius & purius Seraphim, ac tantæ puritatis, ut purius intelligi non possit, nisi DEUS sit: & hoc Speculum est Beatissima Virgo, de qua S. Anselmus lib: de Conceptione cap: 19. ait: Decuit, ut Virgo, quam DEUS Unigenito Filio suo præparavit in Matrem, ea puritate niteret, quâ major sub DEO nequit intelligi.* Ex his constat, S. Thomam locutum fuisse de ea puritate in allatis Textibus, quæ conveniat soli B. Virgini, nec ulli creaturæ puræ, præter illam: Ergo Explicatio illa Bergomensis de mera carentia omnis peccati pro aliquo tantùm tempore, est patenter erronea, siquidem mera carentia talis, convenit non solùm Angelis, sed omnibus etiam infantibus post baptismum mortuis & aliis plurimis Sanctis. Neque dicas, Testimonium illud, adeò evidenter favens piæ Sententiæ desumptum ex 1. Sentent. dist: 44. q. 1. art: 3. non reperiri in una Editione Antverpiensi, cui præfuit Cosmas Morellus. Concedo non reperiri in illa una Editione, sed reperitur in illis omnibus Editionibus ac vetustissimis manuscriptis. Videndus Catharinus lib. 2. de Immaculata Conceptione & Raynaudus Tomo 8. folio 291.

2dus locus S. Thomæ pro illibato Conceptu Virginis, est in Expositione Capitis 3tij: Epistolæ ad Galatas Lect: 6ta: *Virum de mille unum reperi*, (nempe CHRISTUM) *qui esset sine omni peccato: Mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato immunis esset, ad minus Originali, vel veniali: Excipitur Purissima & omni laude dignissima Virgo MARIA.* Hæc Exceptio reperitur in horum Commentariorum super Epistolas Pauli impressionibus, quæ factæ sunt Parisiis Anno 1529: & 1632: ac Venetijs 1555. in aliisq; insuper diversis septem impressionibus antiquis: in modernis autem Editionibus expuncta est illa Exceptio, & quidem in Antverpiensi Anno 1591: à Remigio Florentino, omissa est

3tiò. In Expositione Epistolæ ad Rom: 5. S. Thomas ait: *Omnes in Adam peccaverunt, exceptâ B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam Originalis peccati.* Ut habetur in antiquo Originali manu scripto Codice Operum S. Thomæ super Epistolas S. Pauli, reperto in Biblio-

 theca

theca Cardinalis Sfortiæ Anno 1623: & per Cardinalem de Trexo, exhibito Urbano VIII: Pontifex autem illa Verba legens, & intelligens ea non inveniri in novis Editionibus, vehementer admiratus, muniendo se signo Crucis, dixit: Res est magni momenti ac consideratione digna, mihique magnam novitatem & admirationem attulit. Vide P. Eusebium in lib: Exceptionum Concilij Tridentini cap: 21. Porrò Commentaria in Epistolas S. Pauli scripsit Divus Thomas post Summam suæ Theologiæ: unde siquid contrarium piæ Sententiæ reperitur in Summa, id correxisse videtur S. Thomas in his Commentarijs.

4tò. In prima impressione Opusculorum S. Thomæ, Opusculo 8vo: in Expositione Salutationis Angelicæ, ut videre est in Exemplaribus existentibus in Monasterio Patrum S. Brigittæ in Ducatu Cliviensi, & apud Conventuales Colonienses, exstant verba hæc: *3tio, quantum ad puritatem, B. Virgo non solùm fuit pura in se, sed etiam procuravit puritatem alijs: ipsa enim purissima fuit, quantùm ad omnem culpam, quia nec Originale, nec Mortale, nec Veniale peccatum incurrit.* Et sic etiam reperitur in diversis Originalibus manu scriptis, uno existente in Bibliotheca Regia Parisiensi, altero in Monasterio Parcensi Patrum Præmonstratensium propè Lovanium, & aliis pluribus. Sicq; hoc Testimonium Divi Thomæ, citat Petrus Canisius lib. 1. de B. Virgine cap: 6. & ante illum P. Salmeron (unus ex decem primis Patribus Societatis Nostræ, obijt 1585.) in Epistola ad Rom: Disp: 51: affirmatq; Cardinalem Turrecrematam, Nobilissimum Thomistam, verba citata esse Divi Thomæ, propriô suo calculô confirmâsse. Bernardinus item de Bustis in Officio de Conceptione, 8va die, Lect: 1. prædicta verba S. Thomæ adducit.

& ejus Rationibus. Probatur 2do Responsio nostra. Tum, quia aliàs invalidæ forent Rationes omnes, quas affert S. Thomas pro adstruenda immunitate B. Virginis ab omni culpa etiam veniali. Vide dicta suprà capite 6to. Non subsisteret item Doctrina ejusdem Sancti, & omnium Theologorum ferè asserentium, Miraculum fieri non posse, aut saltem nunquam factum in confirmationem Erroris: Constat enim ex supradictis, multa miracula patrata ad stabiliendum Dogma Immacula-

cula-

culatæ Conceptionis. Vide ſupradicta capite 4to.

Tum, quia S. Thomam eſſe Defenſorem piæ Sententiæ, multi celebres Thomiſtæ, in libris à ſe editis palàm teſtati ſunt: ut Catharinus Archi-Epiſcopus Compſæ, Hieronymus Lanuza Epiſcopus Balbaſtrenſis, & Albaracinus; Gaſpar Catalan, Epiſcopus Ilerdenſis; Jacobus Höchſtraten Sacræ Theologiæ Doctor, & Inquiſitor, ac alij: inter quos Joannes Bromiardus, qui floruit circa Annum 1260: *In Summa Prædicantium, Verbo: MARIA.* Art: 2. num· 10 ait: *B. Virgo fuit cæteris ſpecialiùs & eminentiùs ſanctificata; nam S. Thomas 3. par: q. 27. art: 2. ponit Ejus ſanctificationis Excellentiam, quantùm ad temporis prioritatem, in hoc, quòd ſanctificata fuit in Ejus animatione: id eſt in conjunctione Animæ cum Corpore, non ante.* Ita Bromiardus antiquiſſimus Thomiſta citat locum illum S Thomæ Et en in modernis Exemplaribus in eodem loco citato S. Thomæ 3. p q 27. art. 2 legitur contrarium.

Item teſtimonio celebrium Thomiſtarum.

Tum, quia in Sacro Ordine Prædicatorum, licèt omnes Doctores poſteriores Thomâ S, juramentô ſe obſtringant, ad defendendas Sententias Doctoris ſui Angelici: tamen ex illorum numero plurimi (ut conſtabit etiam ex capite 9no, & conſtat etiam ex dictis) palàm acerrimè propugnârunt Piam Sententiam· adeoq; cenſuerunt, idem ſenſiſſe Divum Thomam: aliàs perjuri fuiſſent: quod, quis de tantis, totque Viris, pietate & doctrinâ conſpicuis, dicere audeat?

Tum, quia Joannes Vitalis Cardinalis, qui floruit Anno 1312: in Tractatu de Conceptione, refert, ſe vidiſſe librum Retractationum S. Thomæ, de eo, quod dixerat in tertium Sententiarum contra Conceptionem Matris DEI: Idem teſtantur alij Viri graves, ſe nempe vidiſſe librum Retractationum, in quo ſcilicet ad imitationem S Auguſtini Opiniones aliquas & dicta retractavit, & inter has, Opinionem de Conceptione Virginis in peccato Originali. Aut veriùs, Angelicus Doctor ſuam clariùs explanavit mentem & indubitatam fecit pro illibato Conceptu Virginis. Tum quia, ut refert Bernardinus de Buſtis, ſerm: 7. de Concept. Joannes de Carth: in Homilia de Arcanis DEIparæ, Doctor Bartholomæus de los Rios, Auguſtinianus, in Horizonte Mariano, P. Nierembergius & alij, Frontino Epiſcopo Pictavienſi miranti, quòd S. Thomas peccatum Originale B. Virgini adſcripſiſſet, apparuiſſe Angelicum Doctorem, & dixiſſe: *Scias Epiſco-*

pe, quòd solùm respectum habui ad Divinum statutum, quòd B. Virgo peccatum Originale contrahere debuerat, nisi per Filium suum fuisset præservata, sed DEI Filius Matrem suam, ab Originali macula præservavit. Hæc omnia Vicarius ipsius Episcopi (inquit Bernardinus de Bustis) fidelissimè exposuit, asserens se à præfato Domino Episcopo hanc Visionem proprijs auribus audivisse.

Itē ex eo, quia ejus Præceptores, Alensis & Albertꝰ Magnus eandem piam Sententiam amplexati sunt.

Confirmatur Responsio. Divus Thomas, singulari pretio & amore prosecutus est S. Dominicum sui Ordinis Sacri Fundatorem: item Præceptores suos, Alexandrum Alensem & Albertum Magnum: S. verò Dominicus asseruit, B. Virginem esse sine labe Conceptam, ut præter dicta capite 4to, ostendetur infra capite 9no. Alexander item Alensis in Commentarijs suis in Lucam ad Evangelium super *Missus est. In Diva* (inquit) *Virgine fuit Universalis carentia culpæ, fuitq; B. Virgo sine ullo Væ.* Et super illud Cantic: Magnificat, ait: *Dominus fecit B. Virginem triumphare de principe Dæmonum Genesis 3. Ipsa conteret Caput tuum.* Moriens etiam sic allocutus est DEIparam. *Tota pulchra es Amica Mea, & neq; Originalis, neq; actualis macula est in Te*: in quo dicto etiam piissimè animam efflavit. Albertus Magnus in Sapientia, nec minor in colenda DEIpara, in libro de Laudibus MARIÆ inquit: *Hæc Virgo sola à Communi Regula excipitur: Omnes in Adam peccaverunt.* Idem Magnus Doctor in Evangelium Lucæ, enumerando multa Væ, à quibus libera fuit B. Virgo supra omne genus humanum ait: *Est aliud triplex Væ, scilicet culpæ, pœnæ, ignorantiæ, Væ culpæ, est triplex, scilicet Originalis, actualis mortalis, venialis, sine isto multiplici Væ fuit Beatissima Virgo MARIA.* Et in Tractatu de Laudibus Virginis lib. 4. cap. 17. *B. Virgo, mundissima est creatura DEI, sicut patet.* Nonne essent mundiores Angeli, si B. Virgo fuisset infecta labe gravi Originali? Ergo censendum est, S. Thomam idem hoc in passu sensisse cum Alberto Alensi, & S. Dominico.

S. Thomas apparens Venerabili V. Marinæ de Escobar,

Idem S. Doctor apparens Venerabili Virgini Marinæ de Escobar, appellans Conceptionem B. Virginis Sanctissimam, dixit: Non placere sibi illos, qui diffitentur B. Virginem sine labe Conceptam: putantes inde sibi aliquem cultum & obsequium præstari: idq; ipsum Religiosis sui Ordinis significari voluit, ut scribitur in lib. 4to vitæ hujus præclaræ Virginis cap. 30.

Sed dato, non concesso, Divum Thomam, non tenuisse Nostram piam Sententiam. Certum tamen est, ut etiam asserit celebris Thomista Joannes à S. Thoma Tomo 1. in 1. par: disp: 2. proœmiali art: 2. Si nunc viveret S. Doctor, eam haud dubiè amplexurum. Siquidem constat, à tota Orthodoxa Ecclesia celebrari Festum Immaculatæ Conceptionis DEIparæ, id est, illius Sanctificationis in imo instanti infusionis ejus animæ, in Corpus - Unde sicut S. Doctor 3. par. q. 27. art: 1. ex eo infert, DEIparam fuisse Sanctam in sua Nativitate, quia de illa Festum celebrat Ecclesia: Procul dubiò etiam ex eo inferret, fuisse Sanctam in sui Conceptione: cùm jam certum sit, de illa Festum celebrari à tota Ecclesia.

quidnam dixerit ?

Accedit. Quòd idem S. Doctor 2. 2. q. 10. art: 12. in Corpore dicat: *Dicendum, quòd maximam Auctoritatem habet Ecclesiæ consvetudo, quæ in omnibus est imitanda, quia & ipsa Catholicorum Doctorum doctrina, ab Ecclesia Auctoritatem habet: unde magis est standum Auctoritati Ecclesiæ, quàm Augustini vel Hieronymi.* Ergo ex mente S. Thomæ prævalere debet alijs, Sententia illa, quæ pro se Auctoritatem Ecclesiæ habet. Sed Pia Sententia habet pro se Auctoritatem Ecclesiæ, utpote celebrantis Conceptionem ut Sanctam: habet tot Summos Pontifices: Academias omnes & consensum omnium ferè fidelium, & plurimas alias validas rationes; ut videre est in Tractatu præsenti.

Dato, non concesso, S. Thomam non fuisse Defensorē piæ Sententiæ: tamen certum est, si nunc mortalem vitam ageret, piæ Sententiæ adhæreret.

Neq; dicas Imo contra Propositionem Nostram Principalem. Utiq; Sanctus Thomas clarissimè in 3. Senten. dist: 3. art: 1. dicit: *Sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem Animæ, quia nondum gratiæ capax erat. Sed nec in ipso instanti infusionis, ut scilicet per Gratiam tunc sibi infusam, præservaretur, ne culpam Originalem incurreret. Nam Christus hoc singulariter in humano genere habuit, ut Redemptione non indigeret, quia Caput Nostrum est; sed alijs omnibus convenit redimi per ipsum: Hoc autem esse non posset, si aliqua alia anima inveniretur, quæ nunquam maculâ peccati infecta fuisset: & ideo nec B. Virgini, nec alicui Sanctorum hoc concessum est, præterquam Christo.* Ergo non censuit S. Thomas, B. Virginem sine labe esse Conceptam. Respondet enim ad hanc Objectionem imo Eminentissimus Cardinalis Sfondrati ad finem aurei sui Libelli cui Titulus

Desumptis Objectionibus ex S. Thomæ libris, satisfit.

tulus est: *Innocentia vindicata.* Respondet inquam, hanc Sententiam Divi Thomæ vitiatam & suppositam esse. Probatq; inter alia ex eo. Tum, quia Vincentius de Castro Novo, id est Bandellus Generalis Ordinis Prædicatorum, hæc verba Decretoria: *In ipso instanti infusionis*, non ponit in opere impresso Ferrariæ Anno 1502 neq; Nicolaus Eymericus in libro, quem edidit Anno 1395. Tum, quia P. Nicolaus Cichovius, Vir in Scientijs altioribus, & Religiosa Animi demissione, nulli, suo tempore in Polonia secundus, in eruditissimo suo libello, cui Titulus: *Angelici Doctoris de B. Virginis Immaculata Conceptione Sententia* cap: 5. Respondet uno se dubitare, an non ea verba: *Neq; in ipso instanti &c.* ex margine, in Textum irrepserint: recensetq; multiplices hujus dubitationis suæ rationes congruas, quas ibidem videre licet. 2dò Respondet. Quòd S. Doctor, in ipsa unione & infusione animæ, agnoverit in B. Virgine, priùs fuisse hominis esse, & esse personæ obnoxiæ contrahendæ Originis maculæ, quàm infusionem gratiæ: quæ non nisi in 2do instanti naturæ infusa sit: nullo modo tamen probari potest, S. Doctorem sensisse, in animatione DEIparæ, priùs tempore ab Ejus anima actu fuisse peccatum contractum, quàm ei infusa fuerit gratia Sanctificans. Quocirca hoc instans infusionis non est censendum esse instans temporis, sed naturæ, atq; ita nihil contra piam Sententiam facit; præsertim, quòd nullibi de hoc, S. Doctor ex professo egerit: nullibi id docuerit per se; nullibi probaverit: nullam, quæ in contrarium afferri possit, objectionem, solverit: sed (si hæc verba ejus sunt, quæ ex 3. dist: afferuntur) dicta sunt obiter: per accidens, & per modum accessorij incidentis: ut ideo videantur posthabenda clariori Angelici Doctoris doctrinæ, qui alicubi clarè profitetur, DEIparam ita fuisse immunem, & ita puram à peccato Originali & actuali, ut solâ potentiâ deficiendi, puritate Divinâ fuerit inferior: alicubi multis & solidis rationibus, omne ab ejus anima submovet peccatum.

Neq; dicas 2do: sunt & alij S. Doctoris plurimi loci, in quibus dicit Nostræ Sententiæ contrarium. Respondetur, nullus extat S. Thomæ Textus (supposito, quòd non sit corruptus vel suppositus) qui prorsus militet contra piam Sententiam, omnes enim ferè, qui afferri solent, in contra explicari congruè possunt & debent de Conceptio-

ne

ne Corporis B. Virginis, non verò ipsius Animæ: seu de Conceptu Ejus generationis, non animationis, ut dilucidè deducit P. Cichovius in citato libello: hæcq; ipsa deductio & Responsio clarior fiet, tum ex dicendis in sequenti Capite, explicando S. Bernardum, & alios Patres, qui in contra afferri solent, tum ex Notatis Capite 10.

CAPUT IX.

RESpondetur ad quædam Quæsita, concernentia B. Virginis Conceptionem.

QUæritur Primò: S. Bernardus quidnam senserit de Conceptione B. Virginis?

Nobis Oppositi, gloriabundi respondent: haud dubiè eorum Castra fuisse secutum, clarèque id constare ex Epistola illa celebri 174: ad Canonicos Lugdunenses, in qua eos arguit, quòd Festum Conceptionis in sua Ecclesia celebrare cœperint: multisq; rationibus probat, B. Virginem in peccato Originali Conceptam: inter alia enim scribit hæc: *Ante Conceptum sui, sanctificari minimè potuit; quoniam non erat; sed neq; in ipso quidem Conceptu propter peccatum, quod inerat; Restat, ut post Conceptum in utero jam existens, sanctificationem accepisse credatur, quæ exclusô peccatô, sanctam fecerit Nativitatem, non tamen & Conceptionem. Uno excepto Domino JESU, qui de Spiritu Sancto Conceptus fuit, de cætero, universos respicit ex Adam natos, quòd unus humiliter de seipso & veraciter confitetur: In iniquitatibus, inquiens, Conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea. Cùm hæc itaq; se habeant, quo pacto, aut Sanctus asseretur Conceptus, qui de Spiritu Sancto non est, ne dicam de peccato est: aut festus habebitur, qui minimè Sanctus est? libenter Gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur Sanctitas.* Hæc S. Bernardus. P. Canisius lib. 1. de B. Virgine, P. Vasquez in 3. par. disp: 177 & alij quidam Patroni piæ Sententiæ admittunt, S. Bernardum sensisse oppositum piæ Sententiæ: addit tamen P. Canisius, nihil contra nos, S. Bernardum obsistere, quia pro Epistola ad Lugdunenses, habemus sermonem ejus 4tum, super *Salve Regina*, in quo defendit illibatum Conceptum B. Virginis: dicit enim:

S. Bernardus sensit B. Virginem, formaliter Conceptã, esse sine labe.

enim: *Libanus Mons, qui dicitur dealbatio, signat, B. Virgo, præ omnibus Innocentiam tuam: innocens fuisti ab Originalibus & ab actualibus peccatis: nemo ita præter Te.* Testis autem varius Nocumentum neutri parti inferre potest. Quia verò illorum, quos citat P. Canisius Sermonum super *Salve Regina* verus Auctor probabilius è sensu plurimorum non est S. Bernardus Clarævallensis, sed S. Bernardus Archi-Episcopus Toletanus ex Ordine S. Benedicti assumptus, ferè Coætaneus S. Bernardi Abbatis: nec item ejus sermo est 13. de Cœna Domini, qui allegari solet: ideo ex indubitato S. Bernardi Abbatis sermone de Privilegijs S. Joannis Baptistæ appono textum: *Quicunq;* (inquit) *de Massa prævaricante Mundum ingredimur, longam restem Originalis peccati nobiscum trahimus: solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur: & quæ eum, Virginalis sui uteri Thalamo, ignorans Virum, & ignorato viro, Terris effudit.* Et serm: de Nativitate. *Caro MARIÆ ex Adam assumpta, maculam Adæ non admisit.* Hicq; locus appositus est in Officio Divino, approbato per Sixtum IV.

2dò. Respondetur à gravissimis Theologis, Bellarmino, Valentia, Granado, & alijs communiter: S. Bernardum in illa Epistola locutum fuisse de Conceptione Materiali generationis, (alio nomine hæc vocari solet, Conceptio seminum, Conceptio carnis, Conceptio prima, imperfecta, prima formatio fœtûs, &c:) quæ exerceri solet in ipso concubitu Parentum cum motu concupiscentiæ: quæ concupiscentia ab Apostolo dicitur *Peccatum* impropriè: habetq; insuper ordinariè secum propriè dictum peccatum, nempe Veniale, annexum ratione excessûs Libidinis: non autem locutum fuisse de Conceptione formali. (vocari hæc etiam solet, Conceptio Naturarum, Personæ; Conceptio 2da, perfecta, animatio: infusio Animæ rationalis, &c.) Horum Theologorum, & communis Responsio fundatur in verbis S. Bernardi in Epistola contentis: *Nunquid potuit Maritalibus osculis & amplexibus Sanctitas admisceri? ut simul Concepta esset & sancta. non valuit B. Virgo, ante sancta esse, quàm esse, siquidem non erat, antequam conciperetur. An fortè inter amplexus Maritales, Sanctitas se, ipsi Conceptioni immiscuit? ut simul & sanctificata fuerit & Concepta: peccatum quomodo non fuit, ubi Libido non defuit? nisi fortè quis dicat de Spiritu Sancto Eam, & non de Viro fuisse Conceptam, sed id hactenus inauditum.*

Mari-

Maritales autem amplexus, & oscula Maritalia, motus concupiscentiæ, interveniunt in Conceptione prima, non in 2da. Et ita mentem Mellifui Doctoris intellexerunt antiquissimi Theologi, qui S Bernardi temporibus viciniores fuerunt: illi enim inquirendo: An B. Virgo fuerit sanctificata ante Animationem? Respondent negativè: Probantq; id præcipuè ex citata Epistola, auctoritate S. Bernardi: sic facit Magnus Albertus in 3. dist: 3. art: 4. Alensis 3. par. Summæ q. 9. membro 2do, art: 2. S. Thomas in 3. dist: 3. q. 1. art: 1. S. Bonaventura in 3. dist: 3. art: 1. q 1. Subtilis item Doctor Scotus ad Objectionem illam ex S. Bernardo desumptam in 3. dist: 3. respondet sic: *Ad Argumentum Bernardi potest responderi: quòd in instanti Conceptionis Naturæ, fuisset sanctificatio, non à culpa, quæ tunc infuit, quia nulla fuit: sed à culpa, quæ tunc infuisset, nisi tunc gratia illi Animæ fuisset infusa. Et, si arguatur, quòd ibi fuit Libido: falsum est de Conceptione Naturarum: licèt posset concedi fuisse in Conceptione & commixtione seminum.*

3. Respondet P. Perlinus Theologus Celebris & à Sacris Fidei Censor, cum aliquibus alijs; S. Bernardi finem præcipuum Epistolæ illius conscribendæ fuisse, MARIANæ Conceptionis Festum à Canonicis Lugdunensibus recenter institutum convellere, illisq; dissuadere: ut autem solennitatem illam auferret, utpotè tunc necdum rationibus certis & convictivis fultam: in speciem eò inclinavit, quò nunquam iisset, nec ire unquam voluit, piæ semper Opinationis tenax.

4tò. P. Petrus de Hoieda in cap: 14: Informationis suæ pro Immaculata Conceptione B. Virginis. Ægidius lib: 3. q. 4. art: 2. Antonius Jepes Generalis Chronicæ Benedictinæ Tomo 7. centu. 7. Anno Christi 1135: & alij multi, rationibus à P. Hoieda adductis convicti, ut testatur prædictus Antonius, Respondent, Epistolam illam non esse S. Bernardi, sed esse cujusdam Nicolai Monachi, qui fuit S. Bernardo à Secretis & à calamo: Homo quidem is erat apprimè doctus, & S. Bernardi in scribendo styli æmulus, ac ad amussim imitator, ut refert Cardinalis Baronius Tomo 12mo: ad annum 1146: verùm simul astutissimus Simulator, & insignis falsarius: utpotè qui multas Epistolas sub nomine S. Bernardi scripsit, falsôq; sigillô munivit: ut ipse S. Bernardus de illo Nicolao conqueritur Epistola 284: ad Eugenium Papam inquiens: *Periclitati sumus in falsis fratribus, & multæ litera*

Epistola, quæ in contra affertur, an omnino certum, à S. Bernardo eam esse conscriptam?

teræ falsæ sub falso Sigillo Nostro in manus multorum exierunt. Et Epistola 298: *Præter libros, denarios, & aureos multos, in ipso exitu Ejus* (id est Nicolai) *inventa sunt apud illum sigilla tria, unum ejus proprium, alterum Prioris, tertium Nostrum, ipsumq; non antiquum, sed novellum, quod & ob ipsius dolos, & furtivas Surreptiones mutare nuper coactus fueram. Hoc enim est, quod Vobis tacito nomine scripsisse me memini: quia videlicet, periclitati sumus in falsis fratribus: quis possit dicere, ad quàm multas Personas sub nomine meo, quæ voluit, scripsit? Quis mihi det, ut ipsa Vestra Curia ad purum purgetur fæce mendaciorum ejus.* Porro citatam Epistolam 174. esse à falsario illo Nicolao conscriptam, multis probat P. Hojeda cum sufficienti solutione Objectionum in contra.

Mihi, 1ma & 3tia Responsio non videtur improbabilis: his tamen probabiliorem censeo Responsionem 2dam: Quarta demum Responsio perpensis benè rationibus Patris Hojeda & solutione Objectionum in contra, saltem est multùm probabilis.

Sed demus esse omnino certum, Epistolam illam ab ipsomet Mellifluo S. Doctore conscriptam esse, sensisseq; pro tunc nobis oppositum: indubitatum tamen est, si nunc inter mortales degeret, cerneretq; , à tota Ecclesia Conceptionem formalem B. Virginis, ut Immaculatam & Sanctam celebrari, non minùs, quàm olim Festum & memoria Assumptionis & Nativitatis B. Virginis celebrabatur: legeret Exceptiones Concilij Tridentini pro omnimoda Puritate B. Virginis: evolveret tot Pontificum Diplomata: lustraret Orbis Orthodoxi universas Academias: & tot volumina Doctorum, impensè faventia illibatæ Conceptioni Virginis. Si inquam hæc omnia cerneret, legeret, evolveret, lustraret, indubitatum est, quòd ambabus manibus piam amplecteretur Sententiam. Nam utiq; in prædicta Epistola (ut dicitur S. Bernardi) de Romana Ecclesia loquens Divus Bernardus scribit: *Ego verò, quod ab illa accepi, securus & teneo, & trado, quòd non scrupulosius, fateor, admiserim. Accepi ab Ecclesia illum diem summa veneratione colendum, quo assumpta de sæculo nequam, cælis quoq; intulit celeberrimorum Festa gaudiorum. Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter haberi festivum atq; Sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentiens, in utero eam accepisse,*

ut Sancta prodiret. Non fallitur Sancta Ecclesia, Sanctum reputans Nativitatis ejus diem. Utiq; Epistolam eandem concludit his verbis? *Quæ autem dixi, absq; præjudicio sanè dicta sint, sanius sapientis; Romanæ præsertim Ecclesiæ Auctoritati, atq; examini totum hoc, sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt Universa, reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.*

Quæritur 2do: Quænam fuerit Sententia S. Anselmi, & S. Bonaventuræ de Conceptione B. Virginis?

S. Anselmum, Archi-Episcopum Cantuariensem, qui floruit circa Annum 1090, fuisse Patronum Piæ Sententiæ constat sufficienter ex citatis ejus Textibus capite 1mo, 2do, septimo, & ex dicendis infra. Unde etiam infensissimi hostes nostri, Centuriatores Centuriâ 11. cap: 4. S. Anselmum perstringunt, eò, quòd omnes in peccato esse mortuos, excepta DEI Genitrice, asserat. *S. Anselmus propugnat Piam Sententiam.*

Verùm dicet quispiam: Utiq; à Bandello afferuntur Testimonia duo S. Anselmi, evidenter convellentia piam Sententiam? imo enim in Officio à se composito de Sanctificatione B. Virginis, Lectione 9na, Bandellus hæc habet: In meditatione quadam S. Anselmus ad DEUM loquens sic ait: *Animam gloriosæ Virginis MARIÆ in culpæ macula Originalis creasti: sed consequenter eandem à Primaria labe purgâsti, & amictu munditiæ decorasti, & in Sanctitatis Puritate postea confirmasti.* 2do: S. Anselmus in lib. 2. *Cur DEUS Homo* cap: 16. dicit: *Licèt ipsa Christi Conceptio sit munda, & absq; Carnalis delectationis peccato: Virgo tamen ipsa, unde assumptus est, in iniquitatibus Concepta est, & in peccatis Concepit Eam Mater Ejus: & cum Originali peccato nata est: quia & ipsa in Adam peccavit: in quo omnes peccaverunt.* *Objectiones incontra solvuntur.*

Respondetur. 1mum Testimonium omnino confictum est: nec enim in libro decem Meditationum, (qui incipit *Evigila*) nec in alio Meditationum libro, cujus initium est: *Dum considero:* Nec demum in ullo libro S. Anselmi invenitur. 2di Testimonii verba non sunt S. Anselmi, etsi ab Anselmo S. scripta: sed inquirentis discipuli Bosonis nomine, Anselmum interrogantis, ut patet legenti illud Caput. Et certè, quis credat S. Anselmum eximium Doctorem, & Cultorem

B. Virginis, censuisse B. Virginem non solùm in peccato Conceptam, sed & Natam? Utiq; sciebat ab Ecclesia universa, Nativitatem DEIparæ ut Sanctam celebrari?

S. Bonaventura postea favit Piæ Sententiæ.

S. Bonaventura in 3. dist: 3. art: 1. q. 2. quærit: An B. Virgo sanctificata fuerit ante peccati Originalis contractionem. Et partem negativam ut probabiliorem tuetur. Posthac tamen, suam hanc Sententiam mutavit: siquidem serm: 2do de Nativitate, Tomo 3. dicit: *Domina Nostra fuit plena Gratiâ præveniente in sua Sanctificatione: Gratiâ scilicet præservativâ contra fœditatem Originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione Naturæ, nisi speciali Gratiâ præventa, præservataque fuisset; Solus enim Filius Virginis fuit ab Originali culpa immunis, & ipsa Ejus Mater Virgo. Credendum est enim, quòd novo sanctificationis genere, in Ejus Conceptionis primordio Spiritus Sanctus Eam à peccato Originali, non quod infuit, sed quod infuisset, redemit, atq; singulari Gratiâ præservavit.* Nec absimilia habet in Opusculo de Ecclesiastica Hierarchia, 4. par. cap: 7. & alibi. Sed quidquid sit, an mutaverit suam Sententiam. Id omnino certum, si nunc in vivis ageret, singularis foret Defensor piæ Sententiæ, ut patet ex dictis suprà Capite 6to.

Quæritur 3tiò: An Universus Celebris Ordo S. Dominici militet contra piam Sententiam? Respondetur Negativè. Imo enim illi, qui in Sanctorum numerum relati sunt ex hoc Sacro Ordine, propugnârunt illibatum Conceptum B. Virginis?

Illibatum Conceptum B. Virginis tuetur S. Dominicus & alij Sancti ex hoc Sacro Ordine: ut

S. Dominicus, qui obiit 1221. in confirmationem hujus Mysterij, insigne patravit Miraculum: vide suprà Capite 4to. Et libro de Carne Christi cap: 17. scripsit: *Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta formatus: ita decuit in 2do Adam fieri.* Idem Sanctus cum suis primis Discipulis solennitatem Conceptionis B. Virginis 8vâ Decembris celebravit: ut constat ex antiquis Ordinis hujus Martyrologijs Anno 1254 conscriptis, & alijs postea impressis. Proculdubio S. Hyacinthus, ab ipsomet S. Fundatore in Ordinem assumptus, Purissimam Conceptionem B. Virginis etiam celebrat: idem dic de S. Petro Martyre, qui proximus fuit temporibus S. Dominici, utpotè in odium S. Fidei interemptus Anno 1252.

S. Raymundus.

S. Raymundus de Pennafort, qui obiit 1275, sæpiùs è Cathedra, præsertim in Ecclesia Hispalensi, Anno 1260, deprædicabat illibatum

Con-

Conceptum B. Virginis· ut testatur Palaus & Alvarus Pizarus aliiq;.

S. Thomam in Nostris militare Castris, deductum suprà.

S. Vincentius Ferrerius, obijt Anno 1419, in codice *Summæ S.Thomæ* ad 3. par. q. 21. art: 2. ad 3. sua propria manu in margine adscripsit: *B. Virgo fuit immunis à peccato Originali & Actuali.* Vide Capite 3tio Textus alios hujus Sancti, veritatis ejusdem comprobativos. *S. Ferrerius.*

S. Antoninus Archi-Episcopus Florentinus, qui obiit 1459, neutri placito fixè adhæsit hac in parte: unde pro rerum occasione, utrumlibet obiter admittebat, aut non respondebat, ut deducit P. Nierembergius in Dissertationibus Epistolicis, Epistola 4ta: Ubi etiam in favorem hujus Mysterij adducit Verba hujus Sancti, desumpta ex 4ta parte cap. 13. §. 4to: *Ostenditur* (inquit S. Antoninus explicando Verbum Salutationis Angelicæ Ave) *ex hoc verbo singularitas MARIÆ: sibi enim soli congruit hoc verbum AVE, quod derivatur ab illo, quod est sine Væ: quasi sine Veh. Veh autem importat miseriam, nulla autem pura creatura est, quæ sit sine Veh, nisi Virgo MARIA.* *S. Antoninus.*

S. Pius 5tus, qui obiit Anno 1572, confirmavit Extravagantes Sixti IVti: & novas Indulgentias concessit, qui benè erga Conceptionem B Virginis affecti essent. Sublatis verò compluribus Festis, Festum Conceptionis per universam Ecclesiam celebrari præcepit; Missaliq;, Breviario & Calendario à se publicatis & observari præceptis, inseruit Conceptionem B. Virginis, *dignissimamq;* & *Sanctam* in Ecclesiastico Officio acclamari voluit. Ordini autem S. Francisci pristinum Officium reliquit à Bernardino à Bustis Ordinis Minorum de Observantia compositum, quod Officium ipsemet Sixtus IV. diligenter examinavit, & comprobavit 4 Octobris 1480, in illo Officio inter alia habentur hæc: *Sicut suum sol nitorem, nunquam perdit nec decorem: primi Patris sic tu labem nullam sentis, nec fœtorem. Te confitemur hodie Conceptam sine crimine* &c. *S. Pius V.*

S. Ludovicus Bertrandus, qui obiit Anno 1581. in Sermone de Purissima Virgine, quem Valentiæ habuit, in 4ta parte ait: *Minimè existimandum est, Conceptionem Dominæ nostræ in generatione aut Organizatione Corporis, sed in infusione ac unione Animæ ad idem, consistere, per quam integra ejus Persona, ac suppositum ex Anima & corpore conflatum Conceptum evadit. Quoniam autem in hac infusione, quan-* *S. Bertrandus.*

do Anima Corporis possessionem primùm adivit, nullius peccati Originalis sorde fuit conspurcata, cui reliquorum Animæ in imo momento, quo Corporis contubernium agnoscunt, infeliciter subjiciuntur: ideo Jure optimo de Beatissimæ Virginis Conceptione, Festum celebramus. Hæc sanè Domina singulares prærogativas ac Cumulatissima Privilegia in die suæ Conceptionis recipit: quorum unum maximum est gratiæ beneficium, quòd in sua Conceptione ab Originali labe præservata fuit. Idem S. Ludovicus adeo firmiter propugnabat semper piam Sententiam, ut teste Fr: Vincentio Justiniano Antistio Dominicano, ejusdem Sancti Contemporaneo & valde Familiari, sæpius dixerit: *Omnes antiquos Doctores, qui oppositam Sententiam probaverunt, suam Opinionem absq; dubio mutaturos & nostræ adhæsuros, si hoc nostro tempore vixissent.*

Item alij non pauci Celebres Thomistæ.

2do Ex eodem Celebri Ordine S. Dominici, plurimi gravissimi Viri ac doctissimi piam Senteniiam propugnârunt, ut Vincentius Cassali, qui floruit sub Annum 1217. Is in Tractatibus suis Panegyricis acutè & solidè propugnat illibatum Conceptum Virginis.

Vincentius Belluacensis circa Annum 1244. in suo Speculo Historico lib. 7. cap: 121.

Hugo de Montecaro Cardinalis in Caput unum & 10. Lucæ: floruit sub Annum 1250.

Jacobus de Voragine Archi-Episcopus Genuensis serm: 6. & 7. de Annuntiatione obiit Anno 1298.

In Capitulo Beneventano, Anno 1653 factum est Decretum ejusmodi: *Nostri Religiosi & Communitates, assistant Concionibus & Festis hujus Mysterij (Immaculatæ Conceptionis) & alijs actionibus publicis, & in omnibus occasionibus laudetur, glorificetur, & sustentetur prædicta doctrina.* P. Nierembergius in Exceptionibus Concilij Tridentini, quas impressit Antverpiæ 1655, cap. 23. §. 1. à folio 354, recenset duodecim Magistros Sacri Palatij: 5. Generales, & supra centum Doctores. Fr: etiam Vincentius Justinianus Antist, in Dominicana Familia Vir summæ Auctoritatis, in suis Additionibus ad caput ultimum vitæ S. Ludovici Bertrandi §. 18. testatur valde receptam esse in suo Ordine Sententiam hanc, quæ tenet Sanctissimam Virginem fuisse ab Originali peccato præservatam, virtute copiosæ & excessivæ redemptionis Filij DEI. Porrò valde receptam esse, colligit eruditissi-

tissimus P. Nierembergius & ex eo: Tum, quia Cathedras primarias & vespertinas Salmanticæ & Compluti occupant, unam item Vallisoleti, & quartam Limæ in Peruano Regno: Lege autem cautum est, ne ullus id munus capessat, nisi prævio Juramento propugnandi Sententiam piam. Tum, quia multi Lauream & Gradum Doctoris vel Magistri assumunt in Academijs illis, in quibus nullus confertur honor hic, nisi præstito eodem Juramento Et inter ejusmodi Academias eminet Parisiensis. Ergo multi Doctissimi ex Ordine Prædicatorum ex animo amplectebantur, & amplectuntur piam Sententiam. Quis autem dubitet, à viris hisce doctissimis, in Discipulorum animos eandem Sententiam instillari. Quare oppositio non est propria totius Religionis: quin potius selectissimi ex ea viri, cum plausu in eam Sententiam piam manibus pedibusq; currunt adversantibus duntaxat privatis quibusdam, & quidam ex corde non omnibus. Imò Admodum R. P. Thyrsus Gonzales Societatis Nostræ Præpositus Generalis, zelô ardenti & Scientiâ eminentissimâ clarissimus, in gemmeo suo Tractatu Theologico de Immaculata Virginis Conceptione disp: 2. sect: 15. num: 152. scribit post Alexandrum VII. plerosq; imò fortè omnes inclinare in Sententiam faventem Immaculatæ Conceptioni.

Insuper Responsionem Nostram Principalem ad Quæsitum 3tium confirmo sensu quorundam doctissimorum Thomistarum, & Beatæ Virginis honoris studiosissimorum, qui in libris suis cum approbatione Superiorum suorum, & Revisorum ex suomet cœtu, luci publicæ expositis, scripsêre hæc:

P. F. Mathias Aquarius in Almo Studio Neapolitano Regius & Publicus Metaphysicus, in cap: 3. Sent: dist. 3: *Opinio,* (inquit) *quæ tenet Beatissimam DEI Genitricem Virginem MARIAM, ab omni Originalis peccati contagio fuisse præservatam, est magis pia: devotioni populi accomodata: & conformis rationi Naturali; quia DEUS est Agens perfectum: Et Morali; quia DEUS magis inclinatur ad amandum, quàm odiendum, & Politicæ, quia DEUS est legis Lator; & sic respectu suæ Matris potuit dispensare in lege: & Theologicæ; quia DEUS instituit circumcisionem, & tamen suspendit eam in deserto: & quia producit effectum sibi gratum: Puri-*

Puritas autem suæ Matris, est sibi gratissima: Ergo præservavit Eam ab omni macula.

P. F. Vincentius Justinianus Antist insignis Theologus, in Additionibus ad vitam S. Ludovici Bertrandi, cui Sancto multùm familiariter & diu convixit cap: 3. § 14. Jam (*inquit*) in Hispania, in In„diis, & in Gallia, & in tota pænè Europa contra piam Opinionem, „aut scribere, aut docere, aut concionari velle, nihil aliud fuerit, „quàm malè canere, & in malo cantu durare, & occasionem dare, „ne illud Terentij eis occinatur: frustra niti, & laborando nihil a„liud, quàm odium quærere, extremæ dementiæ est. Magnæ pru„dentiæ fuerit, eam Opinionem omnino deserere, quemadmodum „ij, qui collabentem jamjam domum vident (quod de muribus Pli„nius scribit) Fugâ se subducunt. Jam illi desunt Cathedræ, sug„gesta, Confessionalia, libri. Jam Regum Diademata, jam Episco„porum Mitræ, jam Cardinalium Galeri, jam Pontificum Tiaræ, & „ipsamet Concilia, quando Tridentinum omnino protestatum est, „non esse suæ intentionis in Decreto de peccato Originali, DEIpa„ram comprehendere.

P. F. Andreas Coppenstein in Clavi prædicandi Rosarium lib. 1. cap: 10. erroris arguit Sarcerium Hæreticum, Gvilhelmum Rosingum, Hieronymum Weller, aliosq; Centuriatores, qui DEIparæ attribuerunt labem Originalem; & præcipuè convellit dictum illud Calvini; *De speciali Virginis MARIÆ Privilegio, cùm cæleste diploma protulerint, credemus, quod jactant.* Ac demùm concludit adversus Hæreticos illos sic: *Sed contra discipulos Magister Lutherus sentit, prædicat, scribit, itemq; Erasmus. Vide Canisij Mariale lib. 1. cap. 8. Contra eosdem stant Turcæ in Alcorano; ubi sic Azoara: Nullus nascitur de Filijs Adam, quem non tangat Satan, præter MARIAM & Ejus Filium.* Quod hic adducitur ex Alcorano. Sciendum, quòd Mahometes Azuara 75. in suo Alcorano scripsit hæc: *Nullus de Filijs Adam nascitur, quem non tangat Satan: & ideò plorat vociferans ex ejus tactu, præter MARIAM & Ejus Filium.* Et Azuara 5. dicit: *MARIA omnibus Viris & Mulieribus splendidior, & mundior atq; lotior, soli DEO perseveranter studens.* Undè Turcæ idem hoc in passu nobiscum sentiunt: hocq; ipsum constat etiam ex illa Historia, quam refert Jacobus de

Mahometes & Turcæ, quid senserint de Conce-

de Valentia, Episcopus Christopolitanus in Expositione Cantici *Magnificat*: ejusq; meminit Catharinus Dominicanus Archi-Episcopus Compsensis lib. 2. de Conceptione, Persva: 19 de quodam Filio Soldani Armeniæ, qui audiens Concionatorem probantem præsente Papa Joanne 22. Avenione, B. Virginem contraxisse labem Originalem, *surrexit à loco, & cum magno furore dixit Papæ & Cardinalibus, quòd mirabatur de ipsis, qui erant Capita Christianæ Religionis, ut talia tolerarent audire de Virgine MARIA: Unde etiam dixit: quòd siquis talia dixisset in conspectu Calisæ, & Soldani Ægypti, aut in conspectu aliorum Saracenorum, nullo pacto posset evadere, quin ab omnibus lapidaretur, quantumcunq; ille esset magnus.* Hinc & Magister Leonardus de Nogverolis, Clericus Veronensis, Notarius Sixti IV. ad eundem Pontificem scribens ait: *Inimicus Christiani nominis Mahomet in Alcorano, Originalem maculam à Christi Matre excludit, & tu tantæ Matris Filius non excludes?* Quod verò suprà citatus Fr. Andreas dicit de Luthero, sciendum est, Lutherum in sermone de Conceptione B. Virginis dixisse: *Conceptio MARIÆ, piè creditur sine Originali peccato facta esse: in primo momento cùm vivere incepit, omnis peccati expers erat.* Ast postquam in plenam hæresim delapsus est dicere: *Nullum Festum magis odi, quàm Festum Conceptiois, & Corporis Christi.* ptione B. Virginis? Quid ita Lutherus?

Quæritur 4tò: An (ut sentit Cajetanus) Concilium Florentinum aliquid definivit contrarium Piæ Sententiæ?

Antequam respondeam, Præmitto. Cajetanus in suo libello suprà citato, cap. 5. scripsit hæc: Conciliabulo Basileensi declaranti ,sess. 36, B. Virginem esse sine labe Conceptam, è regione opponitur ,verum ac venerandum Concilium ex Ferraria in Florentiam trans- ,latum Græcorum & Latinorum sub Eugenio IV, ubi inter Dogmata ,Fidei traduntur hæc verba: Firmiter credit, profitetur, & docet ,Sacrosancta Romana Ecclesia, neminem unquam ex viro fœminaque ,conceptum, à Diaboli dominatu fuisse liberatum, nisi per Fidem Me- ,diatoris DEI & hominum JESU CHristi Domini Nostri, qui sine ,peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis peccata de- ,lendo, solus sua Morte prostravit, & Regni Cœlestis introitum, quod ,primus homo peccato proprio cum omni sua successione perdiderat, ,reseravit. Hæc ibi. Quæ indulta sunt, ut appareat, pro illo tempore,

„pore, quo res in quæſtione erat, Univerſalis Eccleſia ſolum Chriſtum excepit ab Originali peccato, quod non erat dicendum, ſi B. Virgo quoq; excipienda eſſet. Hucuſq; Cajetanus. Hoc prænotato

Florentinum Concilium nihil definivit contra piam Sententiam.

Reſpondetur ad Quæſitum 4tum, Negativè. Reſponſio probatur multipliciter. *Imo.* Quia Patres Concilii Tridentini benè noverant, quidnam Concilium Florentinum decreverit, nec illi in materia Fidei quidquam contrarium ſtatuerunt: & tamen profeſſi ſunt Tridentini Patres, ac declarârunt, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere, B. Virginem in Decreto de peccato Originali: ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones Sixti IV. plurimùm favorabiles Patronis piæ Sententiæ. Ergo patet, in Concilio Florentino nihil decretum eſſe contra puritatem Virginis in ſua Conceptione. *2dò.* Summi Pontifices, ut Sixtus IV, Innocentius VIII, Leo X, Adrianus VI, Clemens VII, Paulus III. S Pius V, Clemens VIII, Paulus V, Gregorius XV, & alij impensè faverunt piæ Sententiæ; ut conſtat ex dictis suprà capite 5. Eſtné autem credibile, eos faviſſe illi Sententiæ, cujus oppoſitum decreviſſe dicitur Eugenius IV. cum Concilio legitimo Florentino? *3tiò.* Admiſſo interim, à Cajetano allegata eſſe verba Concilij Florentini, vox illa, *Solus*, ut patet reflectenti, conjungitur cum ſubſequentibus verbis, nempe: *Solus ſua Morte proſtravit*; quod veriſſimum eſt, quamvis B. Virgo ſit Concepta & nata ſine peccato. Imò ut ſapienter advertit P. Nierembergius in Exceptionibus Concilij Tridentini cap: 8. potiùs Immaculatæ Conceptioni favet Florentinum, cùm dicatur: *Solus CHriſtus proſtravit*; & non dicatur: *Solus CHriſtus ſine peccato Conceptus & natus.* Dixi: *Admiſſo interim illa verba eſſe Concilij Florentini.* Nam non habentur in Definitione, nec in Decreto Eugenij IV, nec in Tomis antiquorum Conciliorum; ſed tantùm recens poſita ſunt in Bullario ſub nomine Bullæ Eugenij VI. contra Jacobitas, quæ ferè tribus annis poſt finitum Concilium Florentinum facta eſt.

Feſtum Conceptionis celebratum eſt

Quæritur 5tò: Feſtum Conceptionis quonam tempore in Eccleſia incepit celebrari? Reſpondetur. Conſtat ex dictis cap: 2do, in Eccleſiis Armeniæ, Ægypti, Syriæ, Hiſpaniæ, celebrari hoc Feſtum à temporibus Apoſtolorum: in Eccleſia verò Græca, lon-

gè

gè antè annos mille. In Angliam autem & primùm quidem in Monasterium Anglicanum Beccense, cæpit introduci Anno 1065 ex occasione revelationis factæ Venerabili Elsino seu Helvino Abbati illius Monasterij; de quo in sequenti Quæsito. Gallia circa Annum 1100 Celebrationem hujus Festi in multis suis Ecclesiis desumpsit ex Anglia. Mauritius tamen Episcopus Parisiensis Anno 1175, prohibuit hoc Festum celebrari in Ecclesia Parisiensi. In Romana Ecclesia, seu in tota Ecclesia Catholica necdum celebrabatur tempore S. Thomæ, qui obijt Anno 1274: nam in 3. par. q 27. art: 2. ad 3. ait: *Licèt Romana Ecclesia Conceptionem B. Virginis, non celebret: tolerat tamen consvetudinem aliquarum Ecclesiarum, illud Festum celebrantium: Unde talis Celebritas non est totaliter reprobanda.* Hoc tamen certum, à tempore Sixti IV, ab anno circiter 1480, Festum Conceptionis solenniter celebratum esse in tota Ecclesia ex præscripto ejusdem Pontificis. *in multis Ecclesiis ab antiquo.*

Quæritur 6tò: Cur die 8va Xbris celebratur Conceptio B. VIRGINIS? Respondetur. Id potissimùm fieri ex eo, quia S. Helvino Abbati Cœnobij Beccensis, apparens S. Nicolaus Episcopus Myrensis, præcepit, ut hoc Festum celebretur illa die. Archi-Episcopus Cantuariensis S Anselmus, qui antea eidem Cœnobio, post S. Helvinum præfuit in Epistola sua ad Episcopos Angliæ refert, quòd Helvino in mari cum Socijs summè periclitanti, & à DEO per intercessionem B. Virginis opem imploranti, subitò quidam Venerabilis Vir, Pontificali Infulâ decoratus (creditur fuisse S. Nicolaus, Myrensis quondam Antistes) inter medias undas, navi proximus, apparuit; qui Abbatem his verbis compellavit: Vis periculum Maris evadere? vis ad Patriam sanus redire? cùmque ipse cum fletu, id, se toto mentis affectu appetere responderet: Scias, inquit, me ad te à Domina Nostra DEI Genitrice MARIA directum, quam dulciter inclamâsti: & si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum Comitibus tuis evades sævientis periculum Maris. Promitte ergo DEO, & mihi, quòd diem Conceptionis & Creationis Matris Domini Nostri JESU CHristi solenniter celebrabis, & celebrandam prædicabis. Et cùm Venerabilis Abbas interrogâsset, quo die Festum hoc celebrandum esset? Responsum est, quòd 8vâ Xbris: & cùm iterum rogâsset, quod Officium dicendum foret? Responsum est, quòd *8vâ Decembris Celebratio Festi Conceptionis infundatur Revelationi factæ, & miraculo.*

Officium Nativitatis B. Virginis, mutatô duntaxat nomine Nativitatis, in nomen Conceptionis: his dictis ille disparuit: & dicto citiùs sedata tempestate, Abbas incolumis incito flatu applicuit littoribus Anglicanis: & quæ viderat, & audiverat, quibus potuit, notificavit; statuit autem diem Festum in Beccensi Cœnobio celebrari, & ipse quamdiu vixit, devotus obsequijs celebravit. Hoc relato miraculo hortatur S. Anselmus Episcopos Angliæ, ad hoc Festum celebrandum, & ipse Officium Ecclesiasticum disposuit & in 3tia Vigilia seu Nocturno, totam Historiam hujus miraculi in tribus Lectionibus distribuit. Officium hoc adducit Armamentarium Seraphicum in Regestro in colum: 3. ad 8. Meminit item hujus Revelationis Cardinalis Baronius in Martyrologij notis ad octavam Decembris; Bernardinus à Bustis in Officio approbato per Sixtum IV: Gerson Cancellarius Parisiensis in Sermone de Conceptione, & alij plurimi.

Quæritur 7timò: An ab Ecclesia, 8vâ Decembris celebratur Conceptio Materialis seu Carnalis Generatio B. Virginis? An verò Conceptio Formalis, id est creatio & infusio Animæ in Corpus B. Virginis? Respondetur.

Octava Decembris, celebratur formalis Conceptio B. Virginis.

Certum jam esse, tum ex Bullis Pontificum, præsertim Sixti IV & Alexandri VII; tum ex sensu totius Ecclesiæ, celebrari diem Festum in honorem Conceptionis formalis: & ita etiam olim in Anglia & Lugduni celebrabatur: licèt S. Bernardus ex mala Informatione, censuerit eo die Lugduni celebrari Festum Conceptionis Materialis, quod ei graviter displicuit: existimabat enim in illa Conceptione Materiali, seu Generatione Carnali, aliquam libidinem non defuisse, & ideo in Epistola ad Canonicos Lugdunenses scripsit: *Quomodo peccatum non fuit, ubi libido non defuit?* Certum autem & clarum est, in Conceptione Formali, seu in creatione seu infusione Animæ in Corpus B. Virginis, nullam fuisse, nec potuisse esse libidinem.

Quæritur 8vo: An 8vâ Decembris contigit B. Virginis Conceptio Formalis? Seu an illâ die creata est Anima B. Virginis & Corpori illius unita? Ad hoc Quæsitum, Responsiones Theologorum variant; P. Vasquez in 3. par: disp: 117. num: 10.

ro. ait: *Fatemur sanè, 8vâ Decembris non fuisse Conceptam B. Virginem secundùm esse humanitatis per Animationem Materiæ: sed eo die Conceptum solum fuisse semen in utero Matris: nam ab eo die usq; ad octavam diem Septembris* (quo recolitur Nativitas B. Virginis) *computantur novem Menses, quibus completur tempus partûs à die Conceptionis Seminis; sed ratione Animationis verum Festum celebratur, non ratione Conceptionis Seminis: quia certiùs de priori Conceptione constat, quàm de posteriori.* Consentiunt Patri Vasquez nonnulli Alij Theologi, ut Granadus, Nierembergius, Uldericus, &c: Respondent, eodem die 8vo Decembris factam Conceptionem Materialem, & post aliquot horas eodem die miraculosè factam esse Conceptionem Formalem. Admodum R. P. Thyrsus Gonzalez Societatis Nostræ Præpositus Generalis, insignis Theologus, in suo doctissimo Tractatu de Immaculata B. Virginis Conceptione, cum plerisq; affirmat, primam Conceptionem B. Virginis factam esse Initio Decembris, die Dominico, per Correspondentiam ad primam diem Creationis Mundi, qui fuit dies Dominicus, in quo conditi sunt Angeli, in quorum Reginam electa fuerat B. Virgo. Conceptionem verò 2dam, factam esse septima die à 1ma: id est Sabbatho proximè sequenti 8vâ Decembris: per correspondentiam ad 7mum diem, in quo perfecta est creatio, & DEUS quievit ab omni opere, quod patraverat, & tunc in eodem instanti, in quo anima illa creata & infusa est Corpori, eximijs gratiæ dotibus fuisse ornatam: & ideò diem Sabbathi specialiter deputatum fuisse cultui B. Virginis: quia Divina Omnipotentia septem illis diebus perfectiùs organizavit & disposuit Corpus ad infusionem Animæ, quàm virtute solius naturæ solet disponi corpus fœmineum ad receptionem animæ intra longum illud tempus, quod Medici & Philosophi assignant, vel octoginta vel quinquaginta, vel quadraginta dierum. Quare Sententia hæc affirmat, ab Ecclesia non celebrari primam Conceptionem Virginis, quæ accidit Initio Decembris, sed secundam, seu animationem, quæ facta est 8 Decembris; asseritq; B. Virginem post animationem fuisse novem Mensibus in utero Matris; & ita mira datur Correspondentia inter Matrem & Filium, de quo constat novem Mensibus, à die creationis Animæ Sanctissimæ & infusionis in Corpus & assumptionis à

Quânam die contigerit formalis Conceptio B. Virginis? Sententiæ variorum proponuntur.

Verbo, inclusum esse in utero B. Virginis.

Privilegia quædam B. Virginis recensentur, quæ habuit in sua Conceptione formali

Nota. Doceri à pluribus, etiam primæ notæ Theologis, quòd B. Virgo in instanti Conceptionis Suæ formalis, habuerit Actualem usum rationis, & nunquam cessàverit ab Actu secundo aliquo intelligendi circa aliquod objectum: habuerit item in hac vita mortali Scientiam beatam, videndo DEUM intuitivè: fuerint item in illa omnes virtutes tam Theologicæ, quàm Morales, non repugnantes statui Matris DEI, ita perfectas, ut major, aut æqualis perfectio Virtutis, non fuerit, nec erit unquam in ulla pura Creatura.

CAPUT X.

Continens Notata quædam deservientia, tum ad solvendas Objectiones contra illibatum Conceptum B. Virginis, tum ad meliorem quorundam supra dictorum intelligentiam.

Conceptio est duplex, Materialis & formalis.

Nota Imò. Conceptio propriè dicta est duplex, ima & 2da: Conceptio ima, vocari solet materialis inchoata, imperfecta, quæ dicit formationem Corporis, in quod rationalis Anima deinde à DEO infunditur, prout innuit Doctor Angelicus lib. de Anima cap: 2. in hoc sensu antiqui Scholastici: quin & S. Bernardus in sua illa (si tamen ipsius est) Epistola celebri ad Canonicos Lugdunenses nomen Conceptionis usurpabant. Secunda Conceptio, partui vicinior est, & contingit in instanti, quo anima rationalis creatur, & corpusculo jam organizato infunditur ac unitur, & hæc Conceptio vocari solet, Conceptio Formalis, completa, perfecta: Conceptio naturæ, personæ. Patres ergo, si qui sunt, qui dicant, Conceptionem B. Virginis non fuisse Sanctam, fuisse maculatam & in peccato: intelligendi sunt loqui de Conceptione ima, Materiali, imperfecta: non verò de Conceptione secunda, Formali, completa, perfecta. Nec id contrariatur piæ Sententiæ Patronis: non diffitentur enim, Conceptionem Materialem non fuisse Sanctam: nam subjectum capax Sanctitatis propriè dictæ, seu gratiæ Sanctificantis non est semen, nec caro, sed anima: nec diffitentur fuisse maculatam ac in peccato: in hoc sen-

ſenſu: quia ex vi Conceptionis Materialis per commixtionem Maris cum fæmina, contraxiſſet in inſtanti animationis maculam Originalis peccati, niſi propter merita Chriſti fuiſſet tunc ornata gratiâ Sanctificante.

Nota 2do. Sanctos Patres non eſſe contrarios piæ Sententiæ, conſtat tum ex dictis ſuperiùs capite 2do. 3tio. 6to. 9no. Tum ex eo, quia nullus magis SS. Patrum Sententias veneratur & ſequitur, quàm Eccleſia Catholica, Romani Pontifices, & omnes inſimul Univerſitates Orthodoxæ: hi tamen clarè profitentur, B. Virginem in ſua Conceptione fuiſſe illibatam. Tum, quia iidem Patres, qui ab Adverſarijs adducuntur contra piam Sententiam, iidem inquam, communiter dicunt, ſolum Chriſtum eſſe ſine peccato natum: ſolùm ipſum à peccato Actuali fuiſſe immunem: & tamen B. Virginem fuiſſe ſanctificatam in utero & natam ſine peccato, certum eſt apud omnes Orthodoxos: indubitatum item, ab Ea nullum peccatum Actuale commiſſum fuiſſe, ut declaravit etiam Tridentinum Seſſ: 6. Canone 23. Cùm ergò Patres, præcipuè S. Auguſtinus, dicunt: Omnes, exceptô ſolo Chriſtô, eſſe peccatô Originalî maculatos, ſolùm illa locutione (ut explicant Granadus, Pennaloſa & alij) adſtruunt, quòd Omnes, exceptô ſolo Chriſtô ſecundùm ſuam Naturam conſiderati, aut peccatum incurrerunt, aut illud haberent, ſi à Redemptore non prævenirentur per infuſionem habitualis gratiæ. B. Virginem ſic fuiſſe præſervatam aſſerunt multis in locis Patres, etiam ij, qui Chriſtum ſolum à peccato Originali exceperunt: ut oſtendi ſuprà. Sat benè item P. Salmeron (unus ex decem primis Patribus Societatis Noſtræ) reſpondet in diſp: 41. in Epiſt: ad Rom: nempe à Patribus in multis caſibus pro uno eodemq; ſumi Chriſtum, & ejus Matrem: & ſic dicit S. Auguſtinus Homilia 4. de Aſſumpt: *Cum gratiæ unitate, ipſa ſpecialitas naturæ, unum efficit, Matrem ac Filium*, & S. Damianus ſerm. 2. de Nativ. *Habitat DEUS in Virgine, cum qua unius naturæ habet identitatem.* Proinde quando Conceptionem & Nativitatem Chriſti Domini excipiunt Patres à peccato, etiam Matris Conceptionem ſubintelligunt.

Sancti Patres non adverſantur Piæ Sententiæ

Accedit, quòd S. Auguſtinus ſemel pro ſemper, cùm de peccato Originali vel Actualibus agitur, DEIparam excepit. Nam lib. de

Na-

Natura & Gratia cap: 36. dixit: Quando de peccatis agitur, nullam prorsus de Ea quæstionem haberi velle, quæ omni ex parte, peccatum vicerat. Demus aliquos Patres Antiquos, docuisse, B. Virginem non fuisse immunem à labe Originali. *Pro tempore illo suo probabiliter id locuti sunt, quia* (ut rectè advertit Joannes Major in 3. dist: 3. q. 1.) *non constabat Veritas istius Conclusionis, sicut modò constat, ut patet per Consilij* (Basileensis) *Sixti IV. & Universitatum determinationem, & crebra miracula super illa Conceptione facta; nec erat Festum Conceptionis in tanta celebritate celebratum tunc, sicut modò.* Imò post Majorem, qui floruit circa Annum 1500. accesserunt Decreta Pauli V, Gregorij XV, Alexandri VII. Declaratio Concilij Tridentini, impensè faventia puritati Originali Virginis; Accesserunt de novo multa miracula, Revelationes, Universitates plurimæ, consensus ferè omnium Fidelium &c: Quid ergò mirum est, Patres aliquos non invenisse, nec vidisse, quæ latebant, & non quærebantur. Quàm multa nunc firmiter, ut certa tenemus, quæ præteritis sæculis erant ignota, aut dubia, ut de Processione Spiritus Sancti à Patre & Filio: de B. Virginis immunitate à peccato Veniali: de Creatione Animæ rationalis: de Animarum Sanctarum statim post mortem Corporis, fruitione DEI per visionem beatificam &c.

Cur B. Virginis Caro dicitur quandoq; Caro peccati?

Nota 3tiò. Sola Caro Christi non est caro peccati, *quia* ut dicit S. Augustinus Epist: 99: *non est carnali concupiscentia, sive seminata, sive Concepta.* Caro verò B. Virginis fuit caro peccati, non ex eo, quòd Anima illius fuerit Originali peccatô coinquinata: ast, quia Caro B. Virginis ex concubitu processit & formata est, in quo est voluptas & concupiscentia, quæ licèt non semper in conjugibus peccata sunt, sunt tamen effectus peccati Originalis.

In quo sensu dicitur B. Virgo mundata vel purgata à peccato?

Nota 4tò. Dum SS. Patres quidam, inter quos S. Maximus in serm: de Assumptione: S. Damascenus lib. 3. de Fide cap: 2. dicunt B. Virginem mundatam, vel purgatam à peccato, intelligendum est, præservativè mundatam: Unde & S. Thomas in 3. par: q. 32. art: 4. ad 1mum ait: *Ideo dicit Damascenus, quòd Spiritus Sanctus supervenit Virgini, purgans ipsam, id est præservans.* Et superiùs q. 27. art: 3. ad 3tium: *Spiritus S. in B. Virgine fecit purgationem quasi præparatoriam ad Christi Conceptionem, quæ non fuit ab aliqua impuritate culpæ vel fomitis:*

mitis: sed mentem ejus magis in unum colligens, & à multitudine sustollens. Nam & Angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas invenitur, ut Dionysius dicit cap. 6. Eccles. Hierarch.

Nota 5tò. Tempore S. Bonaventuræ communiter in Schola Parisiensi asserebatur & docebatur, B. Virginem esse in peccato Originali Conceptam, ut constat ex eodem S. Bonaventura in 3tium. dist: 3. art: 1. q. 2. Si quæratur cur nam fuerit illa Sententia communis? Respondet Admodum R. P. Thyrsus Gonzalez in suo eruditissimo & sapientissimo Tractatu de Immaculata Conceptione disp: 2. sect: 14. id factum fuisse ob triplicem rationem. 1. Quia illi Doctores existimabant, magis conformem hanc Sententiam menti Ecclesiæ Romanæ, quæ noluerat eousq; admittere Festum Conceptionis, licèt illud toleraret in Ecclesijs quibusdam particularibus, per Angliam, Galliam, Germaniam, Nortmanniam. 2. Quia Mauritius, Episcopus Parisiensis, prohibuerat, ne Festum Conceptionis B. Virginis celebraretur in Ecclesia Parisiensi. 3. Quia eo tempore Doctores Parisienses censuraverant Sententiam piam, quæ prohibitio duravit, quousq; Scotus, evocatus Oxoniô ex Anglia Parisios, ita præclarè defendit in Parisiensi Academia præsentibus legatis Pontificijs piam Sententiam, ut eam persvaserit Doctoribus Parisiensibus. Et quidem ita eam persvasit intensè, ut ante Annum 1346. Theologica Facultas Parisiensis decreverit, ne oppositum piæ Sententiæ publicè in Scholis legi possit: postea verò, Anno 1497, legem statuit, ut nullus deinceps Lauream & Gradum Doctoris, vel Magistri capesseret, quin priùs Immaculatam Conceptionem à se acerrimè defendendam jurejurando promisisset: ut præter alios scribit Spondanus Episcopus Appamiarum in Gallia. Ideò autem Mauritius prohibuerat Festum Conceptionis celebrari,& Academia Parisiensis censuraverat Sententiam piam: quia, cum viderent, Conceptionem celebrari 8vâ Decembris, & ab illo die usq; ad 8vam Septembris, quo die celebratur Nativitas B. Virginis, solùm novem Menses numerentur, qui regulariter transire debent à die Conceptionis materialis fœtûs in utero, ad diem Nativitatis ex utero: censebant idem esse, colere eo die Conceptionem B. Virginis, ac colere tanquam Sanctam Generationem Carnalem Ejus. Et in hac Opinione fuit & S.

Olim in Academia Parisiensi quare cõmunis fuit Sententia rigida?

Scotus, Academiæ illi pòst persvasit Sententiam piam, quam propugnavit acerrimè.

Bernardus. Hoc autem falsum est, ut dixi & probavi suprà.

Quæstio de illibato Conceptu Virginis, silentio nō est involvenda.

Nota 6tò. Aliquibus olim visum est, silentio potiùs committendam esse Quæstionem hanc: An B. Virgo sit sine labe Concepta? non verò tractandam in Scholis, exedris & in libris. Inter alios Aliquos ita senserat in Concilio Tridentino Joannes Udinus ex Ordine Prædicatorum, ac pro sua hac Sententia argumentabatur sic: *Aut S. Paulus, aliíq; Patres crediderunt, B. Virginem ab Originali fuisse exemptam, aut non crediderunt? si non crediderunt, cur Sententiam inducitis & novam, & Patribus ignotam? Si crediderunt, & tamen tacuerunt, cur eorum exemplum non imitamini, & rem totam, ut illi, silentio committitis?* Verùm exnunc Franciscanus, sapienter & adæquatè respondit: *Eadem est Primitiva & Moderna Ecclesia; par ergo utriusq; Auctoritas; sed Moderna Ecclesia tota in favorem Virginis conspirat: cur vos ergo Exemplum Ecclesiæ non imitamini? & quod ista & sentit & dicit, non vos quoq; & sentitis & dicitis?*

Est proximè definibilis Sententia pia.

Nota 7timo. Ex hucusque dictis sat clarè constat, Sententiam oppositam piæ, seu rigidam, non habere solidum ullum fundamentum in Scriptura Sacra: nec ullum item sufficiens fundamentum in Patribus Antiquis, nec in Scholasticis Antiquis, ut sunt Alensis, Albertus, S. Thomas, S. Bonaventura: nec in ulla ratione verè probabili: Constat item, Sententiam piam essè proximè definibilem à Summo Pontifice, vel universa Ecclesia in Concilio Æcumenico legitimè congregata. Certè nullus Summus Pontifex habuit unquam tot efficacia argumenta & documenta ad declarandum, essè aliquem Sanctum, & frui Cœlesti gloriâ; quanta nunc habet Ecclesia ad declarandum & definiendum, B. Virginem fuissè sine labe Originali Conceptam.

An expedit, ut definiatur?

Communior item Sensus Theologorum est; expedire, ut definiatur hæc Controversia: tum, propter pacificandos inter se omnes Fideles: tum, quia ipsa Veritas, & legitimus Sensus multorum locorum Scripturæ Sacræ, tractantium de transfusione peccati Adæ in posteros, per totam definitionem, decisionemque innotesceret magis, & retineretur firmiùs: tum, quia obstruerentur ora hæreticorum illorum, qui, ut testatur Coccius Tomo 1. lib. 3. art: 6. ex eo etiam cultum Sanctis exhibitum contemnunt: quòd Ecclesia publicum Festum celebret de ipsa Sanctitate Conceptionis B. Virginis, ut evidenter

denter constat ex Bulla Alexandri VII. cùm tamen incertum sit, an fuerit à peccato Originali præservata.

Nota ultimò. Etsi, ut loqvuntur Bullæ Pontificum, Opinio opposita piæ, non sit Hæresis, peccatum Mortale, vel impietas: possitq; dici, probabilis Opinio: in hoc sensu, (ut annotavit doctissimus Cardenas cum plurimis) quòd aliqui sint Viri docti, qui non apprehendunt Argumenta, tanquam certa & evidentia, quæ pro pia Sententia afferuntur. Non est tamen Probabilis Opinio in hoc sensu, quòd contra illam solùm afferantur Argumenta probabilia, & nulla certa ac evidentia. Aliqua enim ex adductis à Nobis suprà Argumentis, sunt certa & evidentia, præsertim ea, quæ desumpta sunt ex Consensu totius ferè Ecclesiæ, & Festo Conceptionis Immaculatæ, ad Cujus Immaculatæ & Pretiosissimæ semper Virginis MARIÆ Honorem, principaliter verò ad Ipsius DEI Ter Optimi Maximi, qui Eam ab omni labe præserv vit, mihi autem ad hæc conscribenda sufficientiam contulit, omnia isto contenta Volumine, cedant AD MAJOREM GLORIAM.

In quonā sensu Sententia rigida potest dici Opinio probabilis?

Appendix

Continens Paschasij Quesnelli Propositiones, à Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTE XI. damnatas, Anno Domini 1713. 10. Septembris.

1. QUid aliud remanet animæ, quæ DEUM atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.

2. JESU CHristi gratia, principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absq; illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.

3. In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.

4. Itá Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando DEUS non emollit cor, per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum est, quòd in illo DEUS exigat fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto verò DEUS peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo DEUS illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo illi suam legem? Quæ verò felicitas non est, admitti ad fœdus, in quo DEUS nobis donat, quæ petit à nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi inquantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod DEUS nobis præcipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manûs Omnipotentis DEI, quam nihil impedire potest aut retardare.

11. Gratia non est aliud, quàm Voluntas Omnipotentis DEI, jubentis, & facientis, quod jubet.

12. Quando DEUS vult salvare animam, quocunque tempore, quocunq; loco, effectus indubitabilis sequetur Voluntatem DEI.

13. Quando DEUS vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcunque remotus sit à salute peccator obstinatus, quando JESUS se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.

15. Quando DEUS mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur, unctione sui spiritûs, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.

17. Gra-

17. Gratia est illa vox Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad JESUM Christum. Quicunq; ad illum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filij, nullatenus est doctus à Patre.

18. Semen Verbi, quod manus DEI irrigat, semper affert fructum suum.

19. DEI gratia nihil aliud est, quàm ejus Omnipotens Voluntas Hæc est idea, quam DEUS ipse nobis tradit, in omnibus suis Scripturis.

20. Vera gratiæ idea est, quòd DEUS vult sibi à nobis obediri, & obeditur: imperat; & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia JESU CHristi gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote, quæ est operatio Voluntatis Omnipotentis, sequela & imitatio operationis DEI Incarnantis & resuscitantis Filium suum.

22. Concordia Omnipotentis Operationis DEI in corde hominis, cum libero ipsius Voluntatis consensu demonstratur illico nobis in Incarnatione veluti in fonte, atq; archetypo omnium aliarum operationum Misericordiæ & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atq; ita dependentes à DEO sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. DEUS Ipse nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

24. Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia DEI, & JESU CHristi, in sanandis corporibus solô motu suæ Voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.

25. DEUS illuminat animam, & eam sanat, æquè ac corpus sola sua Voluntate, jubet, & Ipsi obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ nisi per Fidem.

27. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam DEUS concedit peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos DEUS vult salvare, per Christum salvantur infallibiliter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. JESUS CHristus se morti tradidit ad liberandum pro semper suô sangvine Primogenitos, id est Electos de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh quantùm oportet bonis terrenis, & sibimet ipsi renuntiâsse ad hoc, ut quis fiduciam habeat, sibi, ut ita dicam, appropriando CHristum JESUM, ejus amorem, mortem & mysteria: ùt facit S. Paulus, dicens: qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.

34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ & integræ.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami & statûs innocentiæ ac gratiam Christianam est, quòd primam unusquisq; in propria persona recepit, & ista verò non recipitur, nisi in Persona JESU CHristi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, Sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; gratia Christiana nos Sanctificando in JESU CHristo, est Omnipotens & digna Filio DEI.

38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40. Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio DEI etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à DEO, & sinè gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem & oppositionem ad ipsum DEUM, locô affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei: sinè hac nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

43. Primus effectus gratiæ Baptismalis, est facere, ut moriamur peccato, adeò ut Spiritus, cor, sensus, non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones o-

omnes nostræ nascuntur. Amor DEI, qui omnia agit propter DEUM, quémq; DEUS remuneratur, & amor quô nos ipsos & mundum diligimus, qui, quod ad DEUM referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore DEI non ampliùs in corde peccatorum regnante, necessè est, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesq́; actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas aut Charitas usum sensuum vel bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons est Charitas. Quando DEI Amor est illius principium interius, & DEI gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs, alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio & nisi peccatum sinè Fidei lumine, sinè CHristo, & sinè Charitate?

49. Ut nullum peccatum est sinè amore nostri, ita nullum est opus bonum sinè amore DEI.

50. Frustra clamamus ad DEUM: Pater mi: si Spiritus Charitatis non est ille, qui clamat.

51. Fides justificat, quando operatur: sed ipsa non operatur nisi per Charitatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in Fide, tanquam in suo germine & semine: sed hæc Fides non est absq́; amore & fiducia.

53. Sola Charitas Christiano modo facit: (actiones Christianas) per relationem ad DEUM & JESUM CHristum.

54. Sola Charitas est, quæ DEO loquitur: eam solam DEUS audit.

55. DEUS non coronat nisi Charitatem. Qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56. DEUS non remunerat nisi Charitatem: quoniam Charitas sola DEUM honorat.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes: & non est spes in DEO, ubi non est amor DEI.

58. Neç DEUS est, nec Religio, ubi non est Charitas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum: & quod DEUS illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quò hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem.

61. Timor non nisi manum cohibet: cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

62. Qui à malo non abstinet nisi timore poenæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram DEO.

63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes & Doctores legis mortui sunt, absq; eò, quòd ullum DEO dederint filium, cùm non effecerint, nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult DEO appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicut bestiæ, sed per fidem & amorem sicut filij.

67. Timor servilis non sibi repræsentat DEUM, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. DEI Bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in Fide & precibus.

69. Fides, usus, augmentum & præmium Fidei, totum est donum puræ libertatis DEI.

70. Nunquam DEUS affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo ob sui conservationem potest secum dispensare ab ea lege, quam DEUS condidit propter ejus utilitatem.

72 Nota Ecclesiæ Christianæ est, quòd sit Catholica comprehendens & omnes Angelos Coeli, & omnes Electos & Justos terræ, & omnium sæculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi Coetus Filiorum DEI manentium in Ejus Sinu, adoptatorum in CHristo, Subsistentium in ejus Persona redem-

demptorum ejus Sangvine, virentium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi.

74. Ecclesia, sive integer CHristus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes verò Sanctos ùt membra.

75. Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum CHristus est Caput, Vita, Subsistentia, & Persona; unus solus CHristus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesiâ DEI, quia omnes Electi & Justi omnium sæculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio DEI, & membro CHristi, cessàt interiùs habere DEUM pro Patre & CHristum pro Capite.

78. Separatur quis à Populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & Caput est JESUS CHristus, tam non vivendo secundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.

79. Utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere & cognoscere Spiritum, Pietatem & Mysteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas Sancta Verbi DEI non est laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus à Christianis debet Sanctificari lectionibus pietatis & super omnia Sacrarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persvadere, quòd notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum librorum Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum Scientia ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.

84. Abripere è Christianorum manibus novum testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi Os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelij, est interdicere usum luminis filijs lucis, & facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ & intentioni DEI.

87. Modus plenus sapientiâ, lumine & charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ DEI antequam reconcilientur.

88. Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quòd cùm sit jam reconciliatus habet jus assistendi sacrificio Ecclesiæ.

90. Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius Corporis.

91. Excommunicationis injustæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulsi, quando DEO JESU Christo, atq; ipsi Ecclesiæ per Charitatem affixi sumus.

92. Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantùm abest, ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.

93. JESUS quandoq; sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit, sinè ipsius mandato JESUS restituit, quod ipsi inconsiderato zelô rescindunt.

94. Nihil pejorem ab Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exercere supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eò devenerunt, ut sint lingva quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est velut idioma Incognitum; adeò remotus est à simplicitate Apostolorum & supra

com-

communem captum fidelium. Neq; ſatis advertitur, quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ & iræ DEI in filios ſuos.

96. DEUS permittit ut omnes poteſtates ſint contrariæ prædicatoribus Veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ gratiæ.

97. Nimis ſæpè contingit membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atq; tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia tanquam ab ea ſeparata: ſed Juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

98 Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus flagitioſus & impius, ultimata plerumq; probatio eſt, & maximè meritoria, utpotè, quæ facit hominem magis conformem JESU CHriſto.

99. Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare aut agnoſcere, ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis, ad quod DEUS poſuit in ſua Eccleſia, ut in ea eſſet odor vitæ, v. gr. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla.

100 Tempus deplorabile, quo creditur DEUS honorari, perſequendo Veritatem ejuſq; Diſcipulos. Tempus hoc advenit. Haberi & tractari à Religionis Miniſtris tanquam impium & indignum omni commercio cum DEO tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum, eſt hominibus piis morte Corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis perſequendo flammâ ferrôque Viros Probos, ſi propriâ paſſione eſt excœcatus, aut abreptus alienâ, propterea, quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare DEO impium, & ſacrificamus diabolo DEI ſervum.

101. Nihil Spiritui DEI & doctrinæ JESU Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut Nomen & Veritas DEI aliquando deſerviant conſilio impiorum.

Omnes & ſingulas Propoſitiones has, tanquam captioſas, falſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ & ejus praxi injurioſas, nequè in Eccleſiam ſolùm, ſed etiam in poteſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, nec non hæreticis, & hæreſibus ac etiam Schiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, vanasq; hæreſes, & potiſſimùm illas, quæ in famoſis Janſenij Propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis continentur manifeſtè innovantes, reſpectivè; hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione declaramus, damnamus & reprobamus.



IN-

INDEX RERUM
NOTABILIUM, QUÆ IN HOC LIBRO CONTINENTUR.

A

M

Penna

T


V

FINIS.

ERRATA.

PAgina 28. v. 16. *lege* inutilem. p. 33. *versu ultimo* Consilia. p. 34. v. 16. invidentiæ. p. 36. v. 17. verùm non ad simpliciter posse. p. 43. v. 19. Concilii. p. 48. v. 4. *dele* crucis. p. 52. v. 15. nisi in ipsis remaneret. p. 55. v. 9. at quantò magis pag. 60. v. 2. Divus Augustinus. p. 94. v. ult. *adde* Ecclesiam, Dogma injuriosum. p. 98. v. 27. RR. PP. Benedictinorum. p. 100. v. 11. Abbas Cellensis. p. 122. v. 24. Defensionis. p. 133. v. 11. inter Propositiones Baji. p. 135. v. 20. Accedit etiam, quòd p. 141. v. 21. qui Textum Apostoli. *ibid.* v. 31. adoptatus. Et ad Pelagianismum rejicienda est ista Sententia. p. 143. v. 3. In omnibus suis Actibus p. 150. v. 29. sed etiam quando volunt. p. 156. v. 22. nudè id asserenti. p. 167. v. 23. lata esse dicitur p. 177. v. 21. Anno 1638. p. 178. v. 11. potiùs in humana p. 179 v. 7. præter Michaëlem Bajum. p. 180. v. 1. Archiepiscopali. p. 184. v. 28. quia non fuit in tenebris. p. 189. v. 1. affirmat eandem Veritatem fuisse approbatam de Immaculato Conceptu. p. 191. v. 29. Decebat. p. 196. v. 4. Justiniano Antist p. 198. v. 13. Fundamentorum p. 222. v. 3. *dele* Tum, *ibid.* v. 6. *dele* Tum quia 3 *lege* 2dò. P. Nicolaus p. 228. v. 31. celebrabat. p. 231. v. 19. & quidem p. 233. v. *ubi.* Quæ inducta sunt, p. 240. v. 7. Concilij. p. 242. v. 31. per talem.

1462




Biblioteka Jagiellońska
stdr0015829

